EVSTACHII RVDII VTINENSIS,

IN FLORENTISSIMO GYMNASIO PATAVINO Medicinæ Practicæ in Primo loco Professoris Ordinarij,

DE AFFECTIBVS EXTERNARVM corporis humani partium PARS POSTERIOR, in qua de Symptomatibus tractatur.

ILLVSTR.^MO ET EXCELL.^MO SENATORI LEONARDO DONATO, EQVITI, DIVI MARCI PROCVRATORI, Patauinæq; Academiæ Parenti dedicata.


INDICE NON MODO CAPITVM, SED ETIAM SENTENTIARVM, dignarumq; obseruatu rerum locuplete, & exacto illustrata.


CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,

Apud Ioan. Antonium & Iacobum de Franciscis.
MDCVI.





IOANNES EFFREN. COLONIENSIS GERMANVS, PHILOSOPHVS ET MEDICVS.

AD BENEVOLVM, ET ERVDITVM LECTOREM.



INTER regulas studiorum, quas à politiorum literarum Præceptore meo, Græcis, Latinisque veterum sententijs confirmatas, & explicatas, adolescens accepi, vna est, quæ adstruit, & inculcat, multum legendos esse paucos, sed optimos libros, qui accendunt, alunt, acuuntque ingenia; cæteros verò honorariorum indicum loco habendos. Hoc quàm salubre, ac vtile præceptum, consiliumve sit, non solùm in Physica, vt vocant, Medicinæ parte, quæ in abstrusis, reconditisque magis versatur; sed etiam in Chirurgice, quæ non ita secretos, tectosque affectus, affectasque partes tractat, iam annos aliquot experientia, certè, comprobaui. Ab eo namque tempore, quo Chirurgiæ animum, studiumque applicui, varios haud oscitanter auctores perlustraui; veruntamen, crede mihi, Lector optime, plus didici octo, vel nouem mensibus nouissimè præterlapsis, quos legendis hisce luculentis, & exactis præclarissimi viri, D. EVSTACHII RVDII lucubrationibus, de externarum corporis humani partium morbis, & symptomatibus, libentissimè impendi, quàm septem annis iam exactis, quos in perplexis aliorum de ea materia scriptis ferè miserè perdidi. Quare non potui me continere præ lætitia, & non vulgari, sed exuberante in omnes Medicinæ studiosos beneuolentia, quin, Auctore etiam non consulto, publicè hoc ipsum vnicuique proderem, ac significarem. Pluribus autem demonstrare, ac confirmare argumentis indicatam, proditamque præstantiam, & insignem vtilitatem huius operis, non erit necessarium: quippe qui ex ipso ingressu, & quasi limine, quemlibet vel mediocriter eruditum satis superque cogniturum credo idem,

a 2 quod

uacanea sunt, neque tam longo sermone opus erat ei, qui Lectorem breuibus admonere proposuerat, vt Auctoris nostri solidam eruditionem, praclarum ingenium, firmum iudicium, incredibile veritatis studium, ordinem ac methodum natura, & intelligentia nostra consentaneum in hoc Opere obseruaret, mentisque intentis oculis inspiceret; quaeso te, Lector optime, per humanitatem tuam, vt hic imprudentia, & verbositati mea ignoscas, quam aliter excusare nequeo, quàm quod procliuitas quaedam mea naturalis & in bonos auctores, & bonas artes, & in eorum studiosos haec à me omnia expresserit. Vale, & vberrimam, quae scaturit ex hoc egregio volumine, vtilitatem ne neglige; sed hauri plena, vt aiunt, manu, ad Dei gloriam, & hominum salutem. Venetijs M DC V.

INDEX

INDEX CAPITVM.

QVAE IN DVOBVS LIBRIS

DE SYMPTOMATIBVS EXTERNARVM CORPORIS HVMANI PARTIVM CONTINENTVR.



CAPITA LIBRI PRIMI, IN QVO DE PVSTVLIS, atque Pruritu differitur.

CAPITA LIBRI SECVNDI, IN QVO De vitiosis Cutis coloribus, de pilorum vitijs, & alijs ipsis cognatis affectibus agitur.

uacanea sunt, neque tam longo sermone opus erat ei, qui Lectorem breuibus admonere proposuerat, vt Auctoris nostri solidam eruditionem, præclarum ingenium, firmum iudicium, incredibile veritatis studium, ordinem ac methodum naturæ, & intelligentiæ nostræ consentaneum in hoc Opere obseruaret, mentisque intentis oculis inspiceret; quæso te, Lector optime, per humanitatem tuam, vt hic imprudentiæ, & verbositati meæ ignoscas, quam aliter excusare nequeo, quàm quod procliuitas quædam mea naturalis & in bonos auctores, & bonas artes, & in eorum studiosos hæc à me omnia expresserit. Vale, & vberrimam, quæ scaturit ex hoc egregio volumine, vtilitatem ne neglige; sed hauri plena, vt aiunt, manu, ad Dei gloriam, & hominum salutem. Venetijs M DC V.


INDEX

INDEX CAPITVM,
QVAE IN DVOBVS LIBRIS
DE SYMPTOMATIBVS EXTERNARVM CORPORIS HVMANI PARTIVM CONTINENTVR.



CAPITA LIBRI PRIMI, IN QVO DE PVSTVLIS, atque Pruritu differitur.

CAPITA LIBRI SECVNDI, IN QVO De vitiosis Cutis coloribus, de pilorum vitijs, & alijs ipsis cognatis affectibus agitur.



EVSTACHII RVDII VTINENSIS DE SYMPTOMATIB. EXTERNIS LIBER PRIMVS,

In quo de Pustulis, atque Pruritu differitur.

De Symptomatum externorum numero, & eorum tractandorum dispositione. Cap. I.





SYMPTOMATA, quæ corporis summa obsident, & quia cutaneas ipsas partes inuadunt, affectus cutanei à quibusdam appellari solent, vel sub genere affectuum, qui sunt in corpore, seu ipsius mutatæ qualitatis, vel actionis læsæ, vel ipsorum exeuntium pariter immutatorum genere continentur. Porrò, quæ sub mutata comprehenduntur qualitate, prius explicanda sunt, eò, quia mutata qualitas, cum sit in facto esse, maiorem cum morbis conuenientiam habet. Hæc itaque duplicis adhuc sunt speciei, quatenus vel in cute prominent, & proinde nedum visus, verum etiam tactus sunt obiectum; vel cutem ipsam tantummodo commaculant, & proinde soli videndi sensui obiiciuntur. Inter ea, quæ tum visibilia, tum tangibilia sunt, & in cute prominent, pustulæ ipsæ recensentur. Nam Galenus in numero affectuum, qui sunt in corpore, seu mutatarum qualitatum, ea omnia mala recenset, quæ naturalem cutis aut colorem, aut superficiem immutant. Ergo multò magis tales erunt pustulæ, quæ tum hanc, tum illum peruertunt. Verum quoniam inter actiones, quæ in cutaneis partibus læduntur, & ad affectus externos attinent, vnicus pruritus enumeratur, qui quidem ad tactiuam functionem deprauatam pertinet, & hic ceu præuius quidam nuncius quamplurimas pustulas præcurrere, easdemque comitari solet: & insuper is, non secus ac pustulæ, ex vitiosi humoris defluxu gignitur: idcirco in tractatione de pustulis de ipso quoque verba faciemus. Quibus absolutis de vitiosis cutis coloribus, & tandem de reliquis Symptomatibus, quæ ad extimarum, cutanearumq; partium excrementa, seu exeuntia immutata rediguntur, pertractabimus.

De Pustularum nomine, natura, differentijs, causis, signis, atque prognosticis. Cap. III.



CVM autem pustulæ frequentissimum cutis vitium existant, & in cute prominentes quandam magnitudinem præter naturam habeant, & veluti quidam semitumores sint, & non secus ac illi, à vitioso succo ortum ducant, rationi maximè consentaneum est, vt post tumorum speculationem de pustulis disseramus. Pustulæ igitur appellatione intelligi volumus, quicquid rotunda quadam figura leuiter in cute extuberat. Quam quidem ita vocari arbitrandum est, eò, quia exiguum quoddam apostema, seu paruulus quidam tumor, & cutis exilis extuberantia est. Sui autem natura nil aliud est, præterquam parua quædam extuberantia qualitatem ipsius externæ cutis immutans: quæ quidem tum visibilis, tum tangibilis est, à vitioso quodam humore producta. Pustulæ porrò differentiæ plures sunt. Nam fauus, psydracia, epinyctis, phlyctenæ, ecthymata, ephelides, hidroa, id est, sudationes, scabies, lichen, psora, lepra, perniones, clauus, callus, acrochordones, myrmeciæ, & reliqua omnia verrucarum genera in pustularum numero continentur. Veruntamen veræ ac propriæ, & quæ ad curationem ipsam vtiles sunt, pustularum differentiæ, ex earum temperatura, magnitudine, numero, figura, subiecto, seu affecto loco, & præsertim ab effectrice causa eliciuntur. Quædam enim pustulæ molles, & humidæ sunt, è quibus ruptis vel humor, vel sanies, vel pus emanat; quædam duræ, ac siccæ humoris nihil profundentes. In humidis continentur hydroa, ephelides, phlyctenæ, seu phlyctides, epinyctides, & quæ ex his ruptis fiunt scabiei genera. In siccis numerantur exanthemata quædam, prurigines, deinde & vari, & verrucarum genera. Ita aliæ magis, aliæ minus calidæ, aliæ frigidæ. Nonnullæ maiores sunt & latiores, aut longiores, aliæ breuiores, & angustiores, & quædam adeo paruæ, vt milij magnitudinem non excedant. Interdum pauciores proueniunt, & aliquando vna, vel duę, aut paulò plures; nonnunquam numerosiores apparent, & interdum adeo copiosæ, vt vniuersam corporis superficiem inuadant: & nonnunquam spissæ, siue densæ; aliquando raræ vel dispersæ, & quandoque bicipites, quandoque vnius capitis tantum: Aliæ exactius rotundæ sunt; aliæ inæqualem habent circuitum: aliæ acuminatæ, aliæ depressæ, & modo vnius, modo alterius rei figuram præ se ferunt: Et nonnunquam totum corpus exercent, vti sunt lepra, & quædam scabiei genera; interdum vnicam partem occupant, siuę sit caput, aut facies, siue manus, siue pedes, siue partes superiores, siue inferiores, siue vna, siue alia corporis pars determinata, & circumscripta. Quædam verò à succo fiunt sanguineo, sicut Variolæ; & nonnunquam à corrupto, & venenato sanguine, veluti sunt exanthemata, quæ febribus pestilentib. accidunt; quædam à succo fiunt bilioso, vti est impetigo, quæ fera vocatur, quæ totum membrum, aut eius medietatem obsidere consueuit; necnon desudationes, quæ sunt impetigines diuisæ; quædam à pituitoso; aliæ verò ab ipso melancholico, & atrabilari succo proueniunt: & quędam ab his simul mistis procreantur, sicut morbillus, formica, scabies, & similia vitia, & quædam sunt aquosæ, sicuti sunt ampullæ, siue vesicæ; & quædam flatuosæ, sicuti sunt paruæ inflationes. Differentię verò, quę ab antecedentib. remotioribusq; alijs causis sumuntur, ex dictis de causis, & differentijs tumorum pręter naturam in vniuersali hauriendę sunt. Nam pustulę non secus, ac ipsi tumores, qui maiores sunt, sępissimè per fluxionē fiunt; & nonnunquam per paulatim factam congestionem. Veruntamen pustulę ipsæ longè frequentius congestione fiunt, quàm tumores ipsi. Hęc autem fit sensim, & sensim ex humorib. in partē alimenti vice distributis. Cum enim pars vel ita imbecilla est, vt nec affluens alimentum in propriam substantiam mutare possit, vel ita vitiata, vt id ipsum corrumpat, nec genita excrementa à se propellere queat, congestio quędā pręter naturam necessariò fit. Insuper pustulæ, ad differentiam tumorum, & tuberculorum, quę maiora sunt, dum fluxione ipsa fiunt, vt plurimum, & quàm sæpissimè per transmissionē oboriuntur. Quod quidem accidit, eò quia partes internę sui natura robustiores ad ipsam cutem proprias superfluitates facilè transmittunt: tum quia sui natura laxa est, & imbecillis, tum quia, vt testis est Gal. solum visum, non autem actionē, quæ

Nomen. Natura. Differētiæ. Causa contentiua. Causæ remotæ. *Galen. lib. de causis morb. c. 6.*

quæ scilicet aut præcipua, aut corpori necessaria sit, obtinuit; & ob id excrementorum veluti receptaculum existit. Nonnunquam tamen etiam per attractionem ipsam, quæ vel ratione doloris; vel (quod frequentius adhuc contingit) ratione caloris fit, oriuntur. Sed quibus de causis tum transmissio, tum attractio fiat, in tractatu tumorum præter naturam latius explicauimus. id solum addidisse sufficiat, pustulas nonnunquam ex intensa tum aeris, tum aquæ caliditate, nonnunquam ex aeris, & aquæ frigiditate procreari: quia frigiditas exprimendi, caliditas attrahendi vim habet. Vnde quærens Aristoteles cur frigiditas pustulas euenire faciat, & eadem ipsas curet (contrarij siquidem effectus ab vnica causa fieri posse non videntur) soluit ambiguitatem, inquiens, frigidum comprimendo humiditates ad imbecilliores partes propellere, & ita pustulas generare; eas autem, quæ genitæ prius erant, curare vniendo, ac roborando calorem innatum partis affectæ, qui deinde roboratus pustularum materiam resoluit, qua resoluta pustulæ euanescunt. Quod si dicamus, frigiditatem quoque ipsam materiam pustulas fouentem ad internas partes reprimere: quia calor (& vnà cum eo sanguis, & humores) vt contrarium fugiat, corporis intima petit, non errabimus. Et ita contrarij effectus ab eadem causa, non eodem, sed contrario modo operante, produci facile possunt. Ob id Aristot. superius quærens, cur in pustulis conferat aqua tum frigida, tum calida, soluens ait, frigiditatem aquæ vel alterius rei condensare, indurare, & exsiccare, & ob id scabiosos affectus frigidæ aquæ balneo fugari, & delitescere: aquam autem calidam rarefaciendo, & digerendo pustularum materiam in vaporem resoluere. inquit autem aliquando, non semper id euenire: quia aqua, siue calida sit, siue frigida, nisi & loco, & tempore debito, & conuenienti modo adhibeatur, pustulas curare non valet. Aliæ verò pustularum differentiæ, quæ accidentales sunt, & alijs affectibus communes, à tempore, & ijs, quæ cum eis complicata sunt, & id genus alijs, quæ extraria sunt, hauriri possunt. Vnde quædam sunt nouæ, & breuis temporis; quædam antiquæ, ac diuturnæ: quædam vlceratæ sunt, quædam sine vlcere, & scissuris: quædam pruriginosæ, quædam sine pruritu: quædam cum dolore, quædam absque dolore: quædam resoluuntur; aliæ ad suppurationem perueniunt; aliæ indurantur; aliæ delitescunt, & permutantur: quædam die magis apparent, propter ipsius calorem; quædam nocte propter eius frigiditatem magis inualescunt: quædam subito accidunt, quædam paulatim fiunt; quædam insuper criticè, quædam symptomaticè apparent: alias ardor, vel pruritus in affecto loco præcedit, quasdam non. Vnde scribebat Hippocrates latas pustulas non admodum pruriginosas fieri: quia à materia non valdè acri, & acuta exoriuntur: & eadem materia est magis dispersa, quàm illa, quę non latas pustulas procreat. Nonnullæ demum sunt à toto genere præter naturam; quædam non à toto genere præter naturam: Nonnullæ cum solius epidermidis scissuris, & soluta vnitate consistunt; aliæ cutim quoque subiectam erodunt, & excauant. Ex tradita verò pustulę natura facillimum est ipsam tum generatim cognoscere, tum à quocunque alio vitio, cum quo affinitatem habet, exactè distinguere. Nam pustula, vt diximus, parua est, & leuiter in cute extuberat: Tumor autem, etiamsi, dum primum oritur, paruus sit, tamen etiam in partib. subcutaneis, vt plurimum latius diffunditur. Pustula insuper cum ipsius cutis tum colorem, tum æqualitatem, ac superficiem peruertat, nedum videndi, verum etiam tangendi sensu percipi facile potest. nam affectæ particulæ color à cutis circunstantis colore dissimilis conspicitur: quia influxa materia cutem, quam obsidet, proprio inficit colore, qui quidem omnino præter naturam est. & idem influxus humor paruam illam extuberantiam producens, & subinde cutis læuorem, & inæqualitatem peruertens, in eadem cuti asperitatem, & inæqualitatem inducit, quæ tactu ipso facillimè percipitur. Differt autē pustula à Tuberculo, & à tumore ipso, quia exigua admodum est, & vel omnino depressa, vel si oblonga sit; est tamen tenuis & angusta, exilemq; cutis superficiem obsidens. Tuberculū verò est ipsa pustula maius, sicuti tuberculo ipso maior adhuc est tumor. Insuper Tumor, & tuberculum sunt morbi, & subinde operationes lædunt. Pustula verò symptoma cum sit, operationem non lædit. Et ob id Hippocrates scriptum reliquit, lepram, scabiem, pruritum, & alia huiusce classis vitia, esse potius turpitudines, quàm morbos. A vitiosis verò cutis coloribus, & maculis distinguitur pustula: quia hæc tum oculis, tum tactu ipso; illi verò solis oculis, & visu deprehenduntur. In prauis enim cutis coloribus nulla prorsus eminentia aut cutis, aut ipsius epidermidis, seu cuticulæ extuberantia tactu percipi, neque vllo admoto lumine videri potest.

Arist. 1. problem. probl. 55.

Probl. 54.

Differentiæ accidentales.

Hip. 6. aph.

Signa.

Hipp. lib. de affectionib. c. 35.

Ex his autem quæ de tumorum præter naturam indicijs tradita sunt, facillimum est omnes pustularum differentias dignoscere. nam siccæ nullum humorem profundunt: ab humidis vel aqua, vel sanies, vel pus emanat: & istæ læues, mollesque; illæ duræ sunt, & asperæ. Calidæ verò ruborem, aut citrinum colorem, necnon ardorem, pruritum, atque dolorem; Frigidæ album, aut liuidum; aut fuscum colorem coniunctum habent, & ardore, doloreque vacant. Similiter quæ à sanguine ortum ducunt, rubræ sunt; quæ à bile, flauæ; quæ à pituita, albæ; quæ ab atra bile, fuscæ, aut nigræ apparent, & sic de reliquis diuersorum succorum signis dicendum: de quibus in signis tumorum præter naturam pertractauimus: quo etiam in loco docuimus, quibus notis congestionem à fluxione, & attractionem à transmissione, & alias causas distinguere valeamus. De malis verò, quæ in diuersis anni temporibus oriuntur, verba faciens Hippocrates, scribebat vere & lepras, & impetigines, & vitiligines, & pustulas vlcerosas plurimas excitari. Nam hoc ipso tempore, inquit Galenus, profundum corporis expurgatur vitiosis humoribus à partibus principalibus ad cutim peruenientibus. Si enim aliquod corpus bonos humores habens vernum tempus excipiat, hoc seruat saluberrimum nihil innouans ex propria natura; sin impurum excipiat, tum iam dicta, tum alia interdum mala excitare consueuit. Tale quiddam enim vere contingit, quale in exercitationibus euenire videmus: Etenim hæ quoque sicuti & ver sunt saluberrimæ: Verum si hominem vel pituita, vel flaua bile, vel atra, vel etiam ipso sanguine plenum ad exercitationem volueris perducere, aut ei morbum comitialem, aut apoplexiam exercitatione efficies: aut, si hæc non euenient, periculum imminet, ne rupto pulmonis vase, in morbum incidat insanabilem, aut acutissimo morbo corripiatur. Quibus verò vicem purgationis humorum, quæ sunt in profundo corporis, exercitatio suppleuerit, ad cutem euocans malorum humorum abundantiam, his & vlcera, & scabies, & vlcerosæ pustulæ inde generantur. & hoc innuens dicebat Hippocrates. Si impurgatus laboraueris, vlcera erumpent. Et quidem verno tempore calor aeris ambientis humores diffundens educit ad cutim: atque hoc quoque opus ipsis exercitationibus simile existit. Ex qua quidem Hippocratis & Galeni sententia planum est, pustulas secundum se consideratas nedum omni prorsus periculo vacare, verum etiam sanitati, vitæque conseruationi maximè conferre, eò, quod nobilia membra, & intima corporis expurgant. Diximus autem secundum se consideratas, quia nonnunquam, prout maximum pruritum, & hoc mediante prolixiores vigilias inuehunt, vires ipsas, non citra vitæ discrimen, maxime labefactare valent. Prout autem à crassiori, frigidiori, & viscidiori succo procreantur, & ab interna viscerum intemperantia, aut alio interno vitio pertinaciori fouentur, & numerosiores sunt, ac latiorem corporis superficiem occupant, ita eò magis rebelles, ac curatu difficiles pustulæ esse solent. non quia difficile sit id quod factum est, sanare; sed quia arduum admodum est, & nonnunquam impossibile, nouam ipsarum regenerationem prohibere, earumque causam abscindere: præsertim vbi vires imbecillæ, & ætas senilis sit. Vnde in decrepitis, & valde senibus, vt Hippocrates ait, pruritus, scabies, & similia vitia propter cutis meatuum angustiam, ob siccitatem, & conniuentiam introductam, & expultricis imbecillitatem, & materiei crassitiem, atque lentorem ferè incurabilia sunt. In eis enim pruritus etiamsi attemperantibus mitigari quoquo pacto possit; attamen denuo reuertitur. Reliqua verò, quæ ad pustularum præsagia spectare videntur, ex traditis de tumorum præsagijs à prudenti viro, qui pustularum differentias omnes contemplari velit, facillimè hauriri possunt, & ob id frustra repeti non debent: præsertim cum multa in particularibus pustularum tractationibus inferius adijcienda sint.

Signa differentiarum.

Prognostica.

Hipp. 3. aph. 20.

Gal. in com.

De Pustu-

De Pustularum indicationibus, & curatione. Cap. III.



T idem prorsus de indicationibus asserendum est. Hæ siquidem ex dictis de tumorum indicationibus clarissimæ sunt, vt nullo pacto repeti debeant. Oportet enim, quod pustulæ factum est, sanare, & quod potest fieri prohibere. Sanabitur autem pustula iam facta, si materia iam influxa, quæ ipsius contentiua causa est, euacuetur, & ex toto inaniatur. Quod tum reprimentibus, tum digerentibus fieri potest, eodem prorsus modo, & iisdem temporibus applicitis, vti in tumoribus curandis docuimus. Illud tamen circa reprimentia peculiariter animaduertendum, vt dum pustularum materia à membro præcipuo ad vicinam cutim; aut ab internis partibus ad eandem cutim copiosa transmittitur, ita vt magnam corporis partem, vel vniuersum ferè totius corporis ambitum inuadat, vti sæpius contingit, nullo pacto reprimentibus vtamur, nisi totum corpus exactè, aut saltem pro maiori parte prius expurgatum sit, & euacuatum: Multoque magis reprimentia caueri debent, vbi materia ad cutem transmissa praua, & venefica est, aut maligna, & vbi ad cutim criticè mouetur, vti in Variolis, morbillis, & alijs quamplurimis malis, ac febribus præsertim pestilentibus contingere solet. Vnde in praxi millies obseruauimus eos, qui scabiosis, ac pruriginosis affectibus oppressi, reprimentibus, aut inunctionibus ex oleo, & sulphure paratis, aut id genus alijs exsiccantibus, & intrò pellentibus, non adhibita prius totius corporis purgatione, phlebotomiaque, & potissimum hyberno, & autumnali tempore, vti voluerunt, in pestiferos morbos, præsertimque malignas febres, ac pleuritides, & sanguinis sputum incidisse, & eorum quamplurimos interijsse. Qui enim aut verno, aut æstiuo tempore talibus inunctionibus ad intra pellentibus vtuntur, etiam si magno vitæ discrimini sese exponant; non ita tamen periclitantur: quia hæc anni tempora humores ad extra trahendi, & digerendi vim habent: & iisdem temporibus cutis meatus patent, proindeque praui humores facilius per cutis meatus, & per halitum transpirant, & per sudorem inaniuntur. Quare dum materia copiosa est, & cutanea hæc vitia corpus, & intimas partes expurgant, materiaque criticè mouetur, quo pacto diuturnas, & præsertim quartanas febres per hæc mala finiri sæpius obseruauimus, nullo pacto reprimentibus, aut adstringentibus, & refrigerantibus, aut emplasticis auxilijs vti debemus. Quinimò, nisi totum prius expurgatum exactè sit, etiam ea, quæ simpliciter exsiccant, suspecta sunt. Insuper circa materiæ iam influxæ euacuationem sciendum est, quod si pustula sit à toto genere præter naturam, ex Galeni præcepto, ex toto eradicanda, & euellenda est. *Gal. 14. metho. 13.* Quæ enim totis substantijs, ait ille, à naturæ habitu recesserunt, ea sui ablationem indicant, cuius certè generis est & quæ Myrmecia, & quæ Acrochordon Græcè vocatur. & idem de huiusce classis pustulis, vti sunt callus, clauus, & id genus aliæ statuendum. Ne autem pustula fiat, & rursus gignatur, prohibebimus, si causam auferamus. Vnde si congestione fiat, oportet affectam partem roborare. sin fluxione oriatur, oportet materiam fluentem, antecedentemque vocatam euacuare, reuellere, & aliò auertere, & causas ipsam materiam fluentem generantes, & aggregantes adimere, & si attractione ipsa ad affectam partem fluat, dolorem, aut calorem, vel vtrumque submouere: Sin transmissione, locum affectum roborare, & vias adstringere: sed præsertim fluentem materiam eradicare. Dum tamen ad plures cutaneas partes, & multò magis dum ad totum corporis ambitum, & vniuersam cutis superficiem materia fluit, tunc de cutis roboratione per adstrictionem, & densationem nullo modo cogitandum est, ne cutis meatibus densatis, laborans in putridam febrem, & magnum aliquem morbum incidat. Postremo sicuti multoties propter pustularum exiguitatem, aut paruum numerum, nullam de totius corporis vacuatione curam habemus, sed solis topicis auxilijs occurrimus, quemadmodum in plerisq; verrucarum generib. contingit: & è conuerso, vbi pustulę superficiales admodum sunt, & solam cuticulam occupant, etsi numerosæ sint, topicis auxilijs posthabitis, sola corporis purgatione, & euacuatione vtimur: quia cũ sponte exsiccentur, & decidant, sola pręseruatio sufficit, & cu-

ratio superflua est (sicuti in scabiosis quibusdam affectibus sæpissimè accidit): ita nonnunquam pustulæ adeo exiles sunt, & paucæ, ac parui momenti, vt, etiamsi nihil penitus agamus, attamen spontè delitescant, potissimum si in victus ratione nullum homines errorem committant. Si itaque pustulæ vel totum corpus, vel plures ipsius partes obsideant, & sanguineæ sint, post lenitam aluum, si opus sit, aut clystere, aut aliquo leniente per os assumpto, quod leuiter refrigerandi vim habeat, de quo in curandis sanguineis tumoribus loquuti sumus, basilica, vel communis vena dextri brachij præsertim aperienda est, & ea sanguinis copia educenda, quam tum ipsius redundantia, tum vires, & alij scopi suadent. Quod si post adhibitam hanc sanguinis euacuationem pustulæ perfectè non curentur, & sanguis redundans crassior sit, vel saphenæ aperiantur, vel hæmorrhoides prouocentur, vel in mulieribus menstrua purgatio reuocetur. Quod si sanguis biliosus magis sit, post primam phlebotomiam, pustulis non cessantibus, dextræ manus saluatella commodè aperitur. Si verò sanguis aquosus fuerit, optimum erit hirudines hæmorrhoidibus admouere, & permittere, vt in sufficienti copia egrediatur: & postea sanguis prout opus erit, à vitiosis superfluitatibus expurgabitur. Si verò pustulæ ab alio vitioso humore ortæ sint, & humor ille cum sanguine mistus sit, ita vt notha plethora cum cacochymia iuncta sit, & malum foueat, vena pariter secanda erit; sed sanguis in minori copia educi debebit: & postea vitiosus ille humor præparantibus, & purgantibus tum concoquendus, tum euacuandus erit. Si verò prauus humor cum sanguine mixtus copiosior fuerit, oportebit prauum succum, prætermissa in principio phlebotomia, tum concoquere, tum euacuare, & deinde tum purgatione, tum debita victus ratione, massa sanguinea ad probiorem naturam redacta, si opus fuerit, venam aperire: & sanguinem in minori copia extrahere: Verum purgantia tūc temporis debent esse validiora, quàm vbi à phlebotomia curationem auspicamur, & postea purgatione vtimur. Si verò vires, aut ætas non ferant venæ sectionem, cucurbitulis vtimur scarificatis. Quod si pustulæ fiant ab humore vitioso, qui cum sanguine mistus non sit, ita, vt sanguis malum nullo pacto foueat, phlebotomia omnino posthabita, & derelicta, humor peccans erit præparandus, & validioribus adhuc pharmacis purgandus. Præparabitur autem si biliosus fuerit, syrupo, aut decocto ex scariola, cichorio, lactuca, hepatica, violis, & floribus nenupharis parato, addendo semina communia frigida, &, si necessitas id exigat, semina papaueris albi. Et postea cum cassia, thamarindis, aut manna, vel syrupo rosato solutiuo: quibus vel diaprunis solutiuus, vel electuar. de succo rosarum ad dosim ij. drachmatum addi poterit, vel etiam rheubarbarum ipsum, vel mirobalani citrini, si hæc in cordiali, & refrigerante aliquo decocto, vel sero lactis caprini ad dosim drach. j. vel j. s. prius infundantur, & facta expressione, & colatura, hoc diluto suprascripta soluentia dissoluantur. Si autem bilis crassa fuerit, non erit ab re suprascriptis præparantibus radices fœniculi, apij, buglossæ, & capillorum Veneris in decoctione permiscere, & iam dictis purgantibus aliquam portionem diaphœniconis adijcere. Si verò vitiosus succus pustulas creans pituitosus sit, sed crassus, decoctio ex qua syrupi conficiuntur, radice fœniculi, petroselini, asparagi, rusci, fumariæ, helenij, calaminthæ, origani, & hyssopi paranda est, & postea purganda cum electuario Indo, aut catharctico Imperiali, vel consimili purgante, cui mel rosatum solutiuum, vbi potionem eligant, addi potest. Quod si pituita salsa sit, iam dictis radicibus in decoctione, endiuia, scariola, buglossum, boragoque, necnon melissa, lupuli, capilli Veneris, & lapathium permisceatur. Et succus præparatus diaphœnicone, cui subdupla electuarij de succo rosarum portio adijciatur, erit expurgandus. Si verò ab humore fiant melancholico, is syrupis, & decoctis ex melissa, cetrach, lapathio, scabiosa, buglossa, chamædryo, chamæpythe, Valeriana, petroselino, & polypodio confectis erit præparandus: & postea cum lenitiuo, diacatholicone, & hiera Ruffi euacuandus. Si autem humor adustus, atrabilarisque sit, Recipe scabiosæ, melissæ, boraginis, buglossi, endiuiæ, lupulorum, fumariæ, cetrach, adianthi, politrici, scolopendriæ ana M. j. Radicum cichorij, lapathij, endiuiæ, liquiritiæ, apij, fœniculi ana vnciam j. s. portulacæ, endiuiæ, anethi, ameos, epithymi, polypodij, senæ ana vnc. s. florum boraginis, buglossæ, violarum ana drac. ij. Decoquantur in aqua sufficienti, & cum saccaro paretur syrupus. Quo quidem præparato humore diacatholicone cum diasena, aut lenitiuo, cū confectione Hamech, quæ quidem in omnibus succis adustis præstantissima est, expurgari poterit. Similiter ad adustos humores præparandos, & euacuandos mirifice conducit serum lactis, cum

Curatio.

Venæ sectio.

Medicamenta. Communia.

Præparantia, & Purgantia.

quo

quo soluentia ipsa dissolui possunt, aut etiam in eodem infundi. Ex vbi uitiosi humores copiosi sunt, vel iam propositis, vel ijs, quæ in curandis tumoribus præter naturam tradita sunt, non semel exhibitis; sed vbi opus sit, bis, & ter repetitis, expurgandi erunt. Et vbi simul misti fuerint, præparantia quoque & purgantia ipsa simul mixta propinanda erunt. His toto corpore expurgato, ad Topica ipsa auxilia deueniendum, quæ quidem in particularibus tractationibus seorsim, ac sigillatim conscribentur. Quæ autem pustulas in cute prouenientes communiter sanare possunt, apud probatos auctores sunt succus fumariç depuratus, aut succus scabiosç continuatim, & per plures dies ebibitus. Extrinsecus aũt probatur radix agrimoniæ contrita, & superposita, necnon emplastrum ex fraxino cum aceto. Plantago verò in modum cataplasmatis applicita vlceratas pustulas persanat. Inter balnea, quæ extrinsecus pariter administrari possunt, mirifice probatur balneum S. Mariæ alio nomine balneum Dominarum appellatum, in Flaminia scilicet seu Romandiola scaturiens: Habet enim sal gemmeum quamplurimum, idque lucidissimum cum aliqua nitri portione, non sine luto aliquo rubro colore prædito, & plurimos obtinet sulphureos vapores. Aqua etiam Aponitana in agro Patauino proueniens, si quis ipsius insessione vtatur, omnium fere præstantissima est ad sananda cutis vlcera, pruritus, vlcera squamosa, scabiem leprosam, pruriginosam, vel salsam, necnõ ad contumaces quosdam herpetes, etiamsi Gallici sint, qui quidem in inguinibus, vel circa nates, aut in cruribus oboriri solent, & ad vlcera callosa, & antiqua, quæ, dum cicatrice obducuntur, paulo post renascuntur, & medicamentis non cedunt. Iubendum enim vt laborantes in hac aqua insideant; & cum è balneo egrediuntur, aliquod medicamen, quod vlceri opportunum sit, admouendum est. Dum tamen cum vlcere coniuncta inflammatio est, eius vsus caueri debet. Similiter, qui febre laborant, aut corporis habitum calidum, & siccum habent, omnino ipsam aufugiant. In ipsa enim sal prædominium tenet: Secundo loco lapidis calcarij succus continetur: Et tertio sulphureus vapor: hunc tamen vaporem refrigerata protinus amittit. Non inutilis quoque est aqua Virginis Montis Orthoni: quia ratione salis calfacit, & siccat moderatè; pauciores tamen sulfureos vapores continet, quam aqua Aponitana. Vnde in calidis affectibus vtiliter bibitur, & tutior est aquis Calderianis Veronensibus, quia moderatè refrigerat. Ob id apud nostræ tempestatis Medicos tantum est in vsu epota, non extrinsecus admota. Sed maxima cum vtilitate per os exhibetur ijs, qui guttam rubeam, seu rosaceam vocatam patiuntur: Dum scilicet laborantes faciem rubicundam verrucis quibusdam rubentibus repletam habent, ita, vt facies, & præsertim nasus cum partibus circunstantibus frequentissimis verrucis obsideantur. Sed extrinsecus post aquas Aponitanas, ad crurium, totiusque cutis vlcera, & ad scabiem valde probantur aquæ Diui Petri: quia moderatè calfaciunt, moderatè siccant, & leuiter roborant, & affecta mẽbra in eis detinenda sunt. Et dum præcipuè Aponitanæ aquæ nimiam caliditatem, & siccitatem timemus, ad aquas D. Petri confugimus. Ad sananda quoque cutis vlcera, quidam pro infusione scilicet aquam montis Groti vsurpare consueuerunt. Quæ, non secus, ac duæ superiores, in agro Patauino scaturire cernitur. Si verò de reliquis balneis sermo fiat, Volaterranas præterire nullatenus debemus: inter quas Balneum est Sancti Michaelis dictum, in quo inest quidem alumen, sed sulphuris per quàm paucissimum, aut fere nihil: Quod quidem in cutis affectibus præstantissimum est, & præsertim ad fugandam lepram omnium efficacissimum existit, ita, vt fortassis præstantius remedium non repetiatur. Victus autem ratio debet tum succis, tum alijs causis pustulas fouentibus aduersari. Ex Celsi verò præceptis in omni pustularum curatione primum est, multum ambulare, atque exerceri: si quid ista prohibet, gestari: secundum est, cibum minuere, & abstinere ab omnibus acribus, & extenuantibus: Eademque nutrices facere oportet, si lactens puer ita affectus est. Præter hæc is, qui iam robustus est, si pustulæ minutæ sunt, desudare in balneo debet, simulque super eas nitrum inspergere, oleoque vinum miscere, & sic vngi. Sed de reliquis in particularibus tractatibus loquemur. De quibus nunc sermonem instruemus; sed quemadmodum in tumoribus præter naturam examinandis fecimus, ordine ex causarum & succorum pustulas procreantium affinitate instituto: quæ quidem in curandi ratione primas sedes obtinent.

[Margin notes: Topica. — Balnea, & aquæ medicatæ cutaneis malis proficuæ. — Victus ratio. — Cels. lib. 5. cap. vlt.]

De

De Pustulis sanguineis. Cap. IIII.



VONIAM pustulæ paruissimi quidam tumores sunt, non sit ab re, in earum particulari tractatione eundemmet ordinem seruare, quem in particularibus tumoribus examinandis superius instituimus. Proindeque à sanguineis ipsis pustulis exordiamur. At verò per sanguinem non quidem probum, & naturalem, inculpatumque sanguinem, à quo pustulæ non fiunt, sed prauum, & vitiosum intelligimus: siue is talis euadat, eò, quia à naturali temperie deflectat, & subinde vel calidior, vel siccior, aut crassior, vel adustus euadat, vel quia putrescat, vel quia cum alijs prauis succis misceatur: eò, quia nonnunquam cum flaua bile, interdum cum salsa pituita, aliquando cum atra bile, aut melancholia, aut vitioso vapore, & interdum cum pluribus ex his vitiosis succis, materiebusque miscetur, & in mistione prædominatur. Eapropter inter pustulas sanguineas ab approbatis, magnique nominis auctoribus & Vari, & Epinyctides, & Therminthi, & Ephelides, & Ectymata Græcis dicta, quæ à nostris Variolæ nuncupantur, & Perniones, & eæ Efflorescentiæ, quas Esferas vulgus vocat, & Gutta rubea, seu rosacea à neotericis dicta, & plurima Scabiei genera recensentur. Vari, quos Græci iontos, vulgares nostrates gossos vocant, vt ex Galen. colligimus, fiunt ex crassiori sanguine siue succo ad externam faciem confluente. Sunt autem paruæ, & duræ pustulæ, quia succus eas procreans est admodum paucus, & crassus. Et si alicuius acrimoniæ sit particeps, ad suppurationem aliquam perducuntur: sin acrimoniæ, & caloris sit expers, vari fiunt potius callosi, & duriores, qui non suppurant, nec vlcerantur. Epinyctis apud Celsum pustula pessima est, circa quam vehemens inflammatio apparet cum ingenti dolore, subrubra, ac quadantenus liuescens, quæ quidem noctu potissimum affligit: Vnde nomen quoque à Græcis ei Epinyctis impositum est: Dolor ex ea supra magnitudinem eius est: neque enim ea faba maior est: Et in eminentibus partibus oritur. Sponte verò exulceratur, ex eaq; subcruenta sanies primum emanat: & cum adaperta est, ut ait Celsus, reperitur intus exulceratio mucosa. Vnde & speciem habere cognoscitur carbunculi, causamq; similem, sed quæ nullius pestilentiæ particeps leuior existat: quemadmodum & eius pustula carbunculo minor est. Proinde epinyctidis contentiua causa sanguis feruidus, & exustus statuendus est. Terminthus huius quoque generis est, & subinde ex feruido, præassatoque sanguine prorumpit. Est autem Epinyctidi par quidem magnitudine: est enim terminthus, vt Galenus scriptum reliquit, eminentia in cute consistens, rotunda, colore ex nigro & viridi, similis ciceris fructui. Pustula verò, quæ ei incumbit, nigra & rotunda ardore in squamam abit. Ephelides sunt pustulæ, quæ sudationibus, quæ quidem milij magnitudinem æquant, aliquanto maiores sunt, & in ambitu rubræ, ac feruidæ, leui dolore, è quarum medio rupta bulla, aut vesica, albus humor, instar lactis exit, scabiesque succedit. Fiunt autem ex feruido, impuroque sanguine sub cutem effuso. Ecthymata pariter, quæ variolæ, & Morbilli à Latinis dicuntur, etiam si pestilentiæ conditionem sequantur, attamen, vt in proprio eorum tractatu à nobis ostensum est, ex sanguinis feruore prodeunt, & extuberant: neque enim manifesta est pituitę permistio. Quod si in mali progressu albescunt, id fit, quia tempore concoquuntur, & eorum materia in pus iam conuersa est: quæ tandem & in squamas siccescit. Quare cum de his alibi abundè egerimus, hoc in loco de eorum natura, causis, signis, & curatione nihil aliud apponemus. Perniones, quos Chimetla Græci nuncupant, similiter sunt pustulæ, seu parui & exiles quidam tumores, qui propter frigus vehemens in pedibus, & præsertim in calcaneo, necnon frequentissimè admodum in digitis manuum, & potissimum in auriū ima extremitate, oriri solent: eò, quia ratione ingentis frigoris sanguis extra venas capillares in iam dictarum partium porositatibus, & spatijs exprimitur, vt pustulæ rubedo, cum inflammatione mediocri nobis demonstrat. Et postea corruptelam, ac putredinem quandam, atque feruorem cum difflari propter partis densitatem non possit, facilè contrahit. hincque dolorem modicum, sed pruritum vehementem accersit, & partem tandem sæpissimè erodit, & vlcerat: & propter partium mollitiem,

Marginal notes: Differētia. — Vari. — Gal. 5. local. medic. — Cels. lib. 5. c. 28. — Epinyctis. — Therminthus. — Gal. 3. de humo. com. 26. — Ephelides. — Ecthymata. — Lib. 3. c. 31. — Perniones.

tiem, & sanguinis redundantiam vitium hoc pueros præsertim, & adolescentulos præhendit. Sicut autem in principio perniones cum quadam duritie extuberant, *Cels.lib.5.c.28* ita postea scinditur locus & vlceratur, paucissima vel nulla proueniente sanici generatione, propter partis affectæ, ambientisque frigiditatem, & propter expressæ materiei disgregationem. Quibus de causis, etiam si sua natura calida sit, non tamen in unum colligi,& concoqui potest. Quin & caro sub tumore & pustula nonnunquam corrumpitur, & postea in vlceratione ipsa clare cernitur. Iam verò Esseræ, quæ Seræ ab Auicenna vocantur, & ipsæ in sanguinearum pustularum numero recensentur, cuius rei testis est color earum rubidus, necnon in sanguineis corporibus, & plethoricis, & in quibus ob extraneum aliquem calorẽ sanguinis ebullitio concitatur, frequentior prouentus. Veruntamen sicuti harum pustularum causa antecedens est sanguis ipse excalfactus, & ab aliquo extraneo calore exagitatus; ita cõtentiua causa est sanguis vaporosus, siue vapor sanguineus, qui cũ aliqua sanguinis præsertim tenuioris portione mistus est, sed à causa antecedẽte iã proposita, & à sanguine calore exagitato eleuatus, quemadmodum subitus harũ pustularum exortus,& apparitio, ac subita earundem occultatio nobis demonstrat. Hinc etiam fit, vt sicuti rarissimè vna sola pustula huiuscemodi apparet, ita secundum plurimũ, & ferè semper pustulæ multæ uaporibus refertæ sese ostendunt: quia vapores multi à sanguine illo in visceribus redũdante facilè eleuantur,& ad cutaneas partes deferuntur,& propter eorum crassitiem sub cute ipsa,& epidermide potissimũ coercentur. De his itaq; scribit Auic. quod sunt pustulæ paruæ, sicuti vesicæ cum aliquali, & modo minori, modo maiori latitudine, quæ tamen à cute parum eleuantur, & prominent, ad aliquam rubedinem tendentes, & pruritum (præsertim dum scalpuntur) angustiamq; facientes,& vt plurimum subito euenientes,& subito recedentes, quarum angustia, atq; perturbatio in nocte vehementior est propter ipsius frigiditatem poros cutis constingentem, perspiratumq; prohibentem: qua etiã de causa in hyeme, frigidisq; regionibus vehementiores fiunt. Nonnunquam verò (licet raro) ex ipsis quædã humiditas emanat, quæ sæpius rubra est, & interdũ aquea, vel ad citrinitatem vergens. Dum autem huiuscemodi pustulæ prodeunt, angustiã promouent, non secus, ac variolæ, cum ab intimis partibus ad extimiores, & cutẽ ipsam expelluntur. Neque id mirum, cum sanguine, atq; spiritibus ad externas partes emanantibus, ac dissipatis, necesse sit vires ipsas deijci: Vti etiam in nimio gaudio, in vehemẽtioribus exercitationibus, in balneis calidioribus,& immodicis sanguinis euacuationibus contingere uidemus. Hæ autem pustulæ sunt eis persimiles, quas apum, seu vesparum puncturæ, aut vrticæ confricationes promouere consueuerunt. Quamuis autem fere subito accidant propter causam assignatam: nihilominus nonnunquam fiunt non subito, sed aliquo temporis spatio interposito, idq; dũ materia, à qua vapor eleuatur, crassior & viscidior, & materiæ pituitosæ particeps est vt ob id non ita subito ad exteriores partes prouenire queat. Quare per subitũ euentum ab alijs vesicis differunt, quæ non ita subito fiunt: Tendunt autem ad rubedinem, uti diximus, propter vaporem eleuatum à sanguine, qui cum feruore exagitatus sit,& cum prauis, præsertimq; biliosis succis permistus (vnde sæpe in tertianarum accessionum principijs tales pustulæ uisuntur) idcirco malũ istud putridas, & nonnunquam malignas febres minatur, nisi cito, & sedulo ei occurramus. Dum autem malum fit à sanguine bilioso, rubedinem,& caliditatem intensiorem habet, & velociorem apparitionem,& maiorem eleuationem ad extra,& minorem pruritum, quam dum sanguis pituitosus est, in quo nocturna angustia longè maior est, quam in bilioso. Gutta rubea, seu rosacea, quæ etiam in Medicorum scriptis rufum vestigium nuncupatur, triplicis generis apud Auctores constituitur. Nam aliquando in facie apparet rubedo præter naturam absque pustulis vel vlceribus;& absolute rubor faciei vocatur. Nõnunquam talis rubedo cum pustulis, vel vesicosa. Interdum cum vlcere iuncta est, & vlcerosa dicitur. Sicuti autem quælibet rubedo faciẽ deturpat, ita reddit eam quasi leprosam: quia malum hoc lepram præcedit, & eius quasi principium est, maximèq; pustulosa, & vlcerosa. Vt plurimum autem passio hæc non quidem æstate, sed tempore hyemis gigni consueuit, præsertim quæ in solo naso generetur. Nam facies tegumentis destituta à frigore læditur, & eius acres vapores, & halitus propter meatuum angustiam, qui à frigore densantur, non dissoluuntur. Vnde Auic. in proprio sermone scribit passionem hanc oriri, eò quia frigus vaporem plurimum sanguineum coarctat. Quare ex omnium sententia, materia & cõtentiua causa omnium iam dictarum ipsius specierum est sanguis vitiosus

Margin notes: Esseræ. — Gutta rubea. — *Rases 25. cõtin.* — *Rases loc. ci.*

penes crassiores ipsius partes ad faciem propulsus. Qui quidem sanguis aliquando vitiosus prauusque fit ob crassæ bilis, aut salsæ pituitæ, vel melancholiæ vitiosæ, aut atræ bilis permixtionem. Quare vbi sanguinis malitia non ita intensa est, rubor absque pustulis, & vlcere generatur: Si verò sanguinis crassities sit maior cum minori acrimonia, rubor pustulosus euadit: Sin præter crassitiē notatu dignam, vehemens quoq; adsit acrimonia, rubor vlcerosus fit. Hæ autem differentiæ ex eo cognoscuntur: quia si sanguinis dominium supra humorem secum mistum ingens sit, rubor absque pustulis ad quandam nigredinem declinat: aut si quæ pustulæ adsunt, rubedini circumsitæ concolores sunt, & cito apparent, citoq; suppurantur, & sanies multa ad ruborem declinans ex ipsis effluit: & pruritus, quem comitem habent, cum quadam delectatione percipitur. Si verò cum sanguine salsa pituita mista sit, pustulæ latiores apparent, & rubor ad albedinem, & cinerulentū colorem vergit, & pruritus mediocris est, & circa pustulas, & quandoque super eis aliquæ paruæ crustæ conspiciuntur. Quod si cum sanguine flaua bilis iuncta sit, rubor in facie, & circa pustulas ad citrinitatem inclinat: & pustulæ acutum quidem caput, sed paruū corpus habent, & siccæ sunt, & nullam vel admodum exiguam humiditatem, & saniē emittunt; & in loco affecto acuta caliditas, & sensus pruritus cum mordicatione, & punctione percipitur. Si verò cum sanguine misceatur melancholia, rubedo ad fuscedinem declinat: & pustulæ siccæ duræque sunt, & fere sine sanie: & si aliquid ex ipsis excernitur, virosum crassumq; est: & sensus pruritus imbecillis, & paruus est. Adhæc iam propositæ differentiæ exactius adhuc cognoscuntur, si anteacta victus ratio, corporis temperies, habitudo, ætasque diligentius perpendantur. Vt plurimum verò passio hæc cum rubore non pustuloso, nec vlceroso incipit, aliqn̄ in naso, aliquando in malis, seu genis prope nasum; deinde sequuntur pustulæ; & postea vlceratio, seu scissuræ. Nonnunquam etiam incipiunt pustulæ ad albedinē vergentes in iam dictis locis, & postea rubor insequitur. Hoc autem vitium eos præsertim appræhendere solet, qui inordinatè, & plurimum bibunt, & cibi proportionē excedentes vinum ingurgitant. Plurimas quoque scabiei species ex sanguine aliis vitiosis succis misto creari, paulò post in proprio capite, quod de ipsa particulatim instituemus, apparebit. Nunc enim reliquas pustulas, quæ semper à sanguine nō ita impuro proficiscuntur, persequi debemus. Cum autem ex iam dictis non solum earum differentiæ, verum etiam causæ, signa, atque prognostica apertissima sint, reliquum est, vt singularum curationem apponamus.

Signa differentiarum.

Causæ, Signa & prognostica.

De Pustularum sanguinearum curatione. *Cap. V.*



INDICATIONES siquidem & ipsæ ex traditis in superiori capite, & in generali tumorum curatione tam claræ sunt, quam quod clarissimum. Communissimam enim hi omnes affectus indicationem habent, vt materia, ex qua gignuntur, euacuetur. Et si ab excrementorum copia fomentum habent, ea statim auferatur, ut ab vniuerso corpore, aut à capite: & id vel sanguinis detractione, vel purgatione, prout affectus ratio magis suadet, & deinde ea victus ratio instituatur, qua non foueatur id genus humorum generatio. Quod verò attinet ad propria remedia, Vari digerentibus; sed aliquam molliendi vim habentibus curandi. Et si maior in his adsit durities, fortioribus discutientibus, & attenuantibus vtendum. Ideò ad Varos non admodum inueteratos, & induratos potest sufficere sola saliua hominis ieiuni, si sæpius illinatur. Fortius medicamen erit adeps gallinaceus, fortius adhuc anserinus: maiorem vim habebit amygdala amara, si vel mansa, vel trita & læuigata, & ex aliquo ex his adipe in formam cataplasmatis redacta apponatur. Aptissimum etiam erit medicamentū, cuius meminit Gal. 5. local. medi. ex Critonis sententia, si lithargyri; drac. iij. accipiamus, & addamus therebinthinæ claræ & puræ drac. j. & parū quid olei albi & clari, & oīa probè misceantur. Vtēdi aūt modus est, ut facies primum detergatur, mox accepto modico huius medicamēti digito & vtraq; manu cōfricato illinendi sunt vari. Nam faciē ēt splendidam, & decoram efficit. Quod si uari sint callosi, vtitur Gal. medicamento, quod Reci. Saponis par. iiij. ammoniaci, thuris ana par. j. omnia simul aqua dissoluantur,

Indicationes.

Ad Varos.

vt cerati

vt cerati crassitudinem consequantur, & vari illinantur, ita tamen, vt unius horæ spacium non excedat, quin facies aqua tepida abluatur, ut morsus medicamenti remittatur. Sed insuper in horum medicaminum vsu, semper corporis natura spectanda, nam quidam mollem, & delicatam faciei cutem habent, quæ nil acre & vel leuiter mordens tolerare possit, vt in pueris, & teneris mulieribus: alij duram habent, quæ omnia perfert. Insuper ne facile valida medicamenta possint obesse, à leuioribus inchoandum. In Epinyctide verò atque Terminthо, quoniam ab eadem causa atque materia fere proficiscuntur, ubi hæc mala alicuius momenti sint, summopere expedit aluum flore cassiæ, aut lenitiuo, & diacatholico lenire, & euacuare, & sanguinem, si nil prohibeat, detrahere, vel venæ sectione, vel quod longe est utilius, hirudinibus hæmorrhoidibus applicitis. Quantum enim conferat sanguis per hæmorrhoidas euacuatus, declarat Hippocrates dum scribit eos, qui hæmorrhoidas habent, neque dolore lateris, neque pulmonis inflammatione, neque phagædena, neque furunculis, neque terminthis corripi. Postea antecedens materia syrupo de lupulis, aut de fumaria, necnon de boragine, de pomis, de endiuia, aut cichorio cum suis destillatis aquis erit præparanda, & demum vbi ita res postulet, diacatholicone, aut lenitiuo, cum confectione Hamech, aut decoctione foliorum senæ, erit expurganda. Et postea ad localia veniendum erit: inter quæ Celsus nedum nitrum, & enelæum, verum etiam descensum in aquæ calidæ solium probat: aut si hæc nihil proficiant, & maius malum id exigat, imponenda lenticula est, detractaque summa pellicula ad medicamenta lenia transeundum. Epinyctis pariter post lenticulam, rectè herba quoque sanguinali, uel viridi coriandro curatur. Vlcera verò ex pustulis facta tollit spuma argenti cum semine fœnigræci mista, sic, vt inuicem rosa, atque intybi succus adijciatur, donec mellis crassitudo fiat. Et ijsdem prorsus remedijs ephelidis occurrere possumus, quæ cum sui natura leuiores sint, etiam sponte siccescere, ac submoueri possunt. De Ecthymatum verò curatione hoc in loco nil prorsus dicemus, quia in tertio libro in proprio eorum tractatu fusius de his disceptauimus. In pernionum verò curatione propter magna frigora, ætatemque puerilem, & quia malum non ita vrget, Auctores de phlebotomia, & purgatione ne verbum quidem faciunt, sed ad topica descendentes, Celsus præcipit, ut in primis multa calida aqua affectus locus foueatur, in qua rapa decocta sint: aut, si ea non sunt, aliquæ verbenæ ex reprimentibus. Si nondum adapertum vlcus sit, æs, quam maximè calidum quis pati potest, admouendum est. Si iam exulceratio est, imponi debet alumen, æqua portione cum thure contritum, vino adiecto; aut malicorium in aqua coctum, deinde contritum. Si summa detracta pellicula est, hic quoque melius lenia medicamenta proficiunt. Hæc Celsus. In hoc eodem malo Galen. Lappam minorem probat; quia admodum tenuium est partium, & exsiccantis, & modicè detergentis est facultatis. Quamobrem radix, & semen eius cocta cum vino ambusta & perniones, Chymetla Græcis dicta, si horum decocto perfundātur, sanare possunt; quod etiam caules teneriores præstare valent. Et ex eodem Galeno cinis vnguium asinorum, si siccus inspersus fuerit, eosdem perniones sanat. Heraclides autem, ita referente Galeno, squamæ æris læuigatæ acetum affundebat, ac sub canicula læuigabat, mellis spissitudinem faciens, uel incoquebat. postquam siccum fuerat, in pulueremque redactum, cerati, præsertimque myrtei, partes octo miscebat, ac utebatur ad recentia vulnera, & vetera vlcera, & rasa, & attritus, & perniones non minus vlcerosos. Nonnulli autem recentiores, antequam perniones vlcerentur, tumidum locum cum salsa, aut marina aqua abluunt, & oleo rosaceo in rapa concauata bullito inungunt: aut oleo veteri in radice cyclaminis decocto: aut abluunt cum aqua decoctionis bliti, & radicum eius. Similiter valde confert ablutio cum vino, in quo folia serpentariæ sint incocta: imò folia sic decocta vtiliter superponuntur. Similiter ablutio, & fomentatio cum decoctione raparum frigus manuum, & pedum mirifice tollit: sicuti etiam ipsa Rapa cocta, & emplastri in modum applicita, & furfur in vino decoctum magna cum utilitate superponitur tumoribus, & duritiebus ex frigore prouenientibus: quas quidem ammoniacum extensum, & super eas applicitum facile resoluit. Quod si vlcerentur, abstergantur cum aliquo abstersiuo leuiori, ubi necesse sit, vel cum vnguento Apostolorum, deinde consolidentur, super inspergendo puluerem myrrhæ, mastiches, thuris: & superponantur laminæ ex stupa in vino madefactæ, ita thus cum axungia porcina eliquatum huiusmodi vlcera sanat. Alij iubent, vt vlcerata pars in aqua calida

Marginal notes: Curatio epinyctidis Terminthi Ephelidūque. — *Hip. 3. de humor. c. 6. tex. 26.* — *Cels. lib. 6. cap. 28.* — Ecthymatū curatio quo in loco sit petenda. — *lib. 3. cap. 3.* — Pernionū curatio. — *Celsus lib. 5. cap. 28.* — *Gal. 6. simp.* — *Gal. 11. simp.* — *Gal. 4. de cō pos. per gen. cap. 7.*

lida teneatur, quousque optimè emolliatur: deinde optimè exiccant, & superimponunt vnguentum ex sepo arietino tenuissimo, & puluere gallarum subtilissimo confectum: quia abstergit, & agglutinat hæc vlcera. Nonnulli superimponunt fel porcinum, & illud non remouent, donec persanentur. Ex his verò, quæ experientia vtilia comprobata fuere, sunt pelles pedum caponum vel gallinarum superpositæ: quia quàm citissimè hæc vitia curant. Verum quoniam propter ingentia frigora, & Aquilonares constitutiones ob nimiam superuenientem siccitatem ne dum perniones, sed etiam extremarum partium, ut manuum, & sæpius labiorum scissuræ superuenire consueuerunt, ideo ex nobis oblata occasione liceat hoc in loco quædā apponere, quæ huiusmodi scissuras remouent. Hæ itaq; auxilio egent calidè humectante, quod etiam quandam abstergendi vim habeat. Ob id probatur à quibusdam askanna vulgo dicta madefacta cum butyro recenti, vel cum oleo amygd. dulc. vel oliuarum dulcium, superponendo per integram noctem hoc medicamentum. Est autem askanna cyprus arbor dicta, ex qua etiam cyprinum oleum conficitur. Laudantur pariter ablutiones partis affectæ ex aqua calida. Alij locum affectum melle calido inungunt & statim puluerem ex setis equorum combustis confectum superinspergunt. nam manuum, & labiorum scissuras facile sanat. Vt autem partes à pernionibus præseruentur, pelliceis indumentis, ac tegumentis operiendę sunt. Manus uerò sæpius in aqua decoctionis fœnugræci, althẹæ, florum chamœmeli, & meliloti sunt abluendæ, & longiori tempore fouendæ. & postea panno lineo calido exiccandæ, & ilico post oleo mastichino, vel nardino actu calido inungendæ. Dum autem in pluribus corporis partibus exanthemata, quæ Esseræ à nostris vocitantur, efflorescunt, & malum augeri incipit, proculdubio localibus ferè posthabitis, quæ & superflua (hæ enim pustulæ per se ipsas, cum vaporosæ sint, statim delitescunt) & minus tuta sunt, ut laborantes à tertianis, & alijs prauis febribus præseruentur, præmisso, si opus sit, clystere, sanguis, iecorariæ sectione, euacuari debet: sed ubi cum ipso permista est pituita, in minori copia educi debet: habita tamen prius tum virium, tum ætatis præmeditatione. Postero mane exhibendum leniens, quod bilem, vbi hæc cum sanguine peccet, educere valeat, cuiusmodi est syrup. rosat. solutiuus ad vnc. iiij. vel v. cum decocto cichorij dissolutus, uel thamarindi ad iiij. vel v. drach. Sed in hoc casu omnium præstantissimum medicamentum est flos cassiæ nouiter extractæ, si ad x. vel xij. drach. in bolo cum drach. j. specierum diarhodonis Abbat. vel seminum citri mundatorum per vnam vel duas horas ante prandium exhibeatur. nam tamarindi, & syrup. rosat. solut. per quatuor, vel 5. horas ante cibum offerri debent. Quod si cum sanguine salsa peccet pituita, optimum est exhibere x. vel xij. drachmas floris cassiæ nouiter extractæ, cum drach. j. specierum hieræ simplic. Galeni, in bolo reformatas. Insuper vbi primi ductus ad ventriculum, & mesaraicas venas attinentes superfluitatibus scatent, optimum est à Leniente iam dicto curationem inchoare, & secundo die phlebotomiam, vti dictum est, administrare. Quibus peractis bilioso humore præsertim peccante, optimum est exhibere singulo mane serum lactis caprini ad Dosim vnius libræ, vel decoctionem cichoraceorum, & boraginis, aut aquam hordeaceam cum acetoso simplici, vt scilicet acris, salsusq; succus cum sanguine mistus attemperetur, & ad euacuationem preparetur. Nonnulli bile ipsa peccante, succum seu aquam duorum granatorum, acidi scilicet & dulcis optimè colatum, & cum saccaro mistum singulo mane offerri præcipiunt, quia biliosum humorem absque vlla molestia per aluum educere valet. Ad easdem intentiones, & succi attemperationem respiciens Auicen. in potu aquam calidam multoties exhibebat, sed post factam euacuationem: quia sudorem quoque prouocare studebat: Qua de causa communiter aquam hordeaceam in sufficienti quantitate exhibent, & ægrotantem in loco calido pannis coopertum collocant, &, vt sudet, præcipiunt. Sicuti autem ad biliosum succum expurgandum confert rheubarbarum, myrobalani citrini, & id genus alia cum cassia aut diacatholicone: ita ad educendam pituitam probatur agaricum, turbith, & similia. Auicen. verò peccante salsa pituita, in potu exhibebat cubebarum drach. j. cum drach. iij. sacchari, & drach. iij. seminis agni casti cum lacte dulci. Verum extrinsecus Serapio pro emplastro folijs cauliū optimè contusis vtebatur. Similiter Esseras, & Scabiem ab eis prouenientem coriandrum cum melle, & oleo mistum sanat. Auic. vtebatur folijs fraxini cum aceto ad emplastri formam redactis. Qui autem iubent in apparitione esserarum fricari & scalpi locum cum manu vel panno aspero ad exclusionem vaporum, optimè operantur. In Gutta autem rubea, quia sui natura, & pro-

Ad scissuras labiorū, & aliarum partiū, quæ ratione frigoris fiunt.

Exanthematū, quæ Esseræ vocantur, curatio.

Topica.

& propter fomentum, quod habet ab hepate, ualde partinax & rebellis est, longè maiori diligentia opus est. Vnde præter conuenientem victus rationem, quæ in alimentis, & ijs, quæ intus sumuntur, ad frigidum, in aere ipso ambiente ad calidum vergere debet, oportet ratione materiæ antecedentis, & malum fouentis nedum concoquentibus, & euacuantibus purgantibusque, verum etiam auertentibus auxilijs occurrere, & postea ad auxilia, quæ materiam influxam digerunt, & quod mali factum est, curant, confugere. Lenita itaque aluo, primisque ductibus, aut flore cassiæ, aut syrupo rof.solut. vel viol. solutiuo, quibus etiam thamarindi vtiliter miscentur, euacuatis, ilico & postero die dextera vel basilica, vel communis vena de necessitate erit aperienda, nisi quid prohibeat: rarissimè verò ætas prohibere solet: quia hoc malum, neque pueros, neque valde senes obsidere consueuit. Sanguis uerò prout vires id exigunt, & sanguinis copia, modo in maiori, modo in minori quantitate erit educendus, & non quidem interpolatis sed vnica uice, vt vnà cum vitiosi sanguinis imminutione, & ab affecto loco reuulsione, hepar quoq; melius refrigeretur. Quinimò Rasis ad iam propositos scopos oculos dirigens ambas cephalicas pertundebat: quia ut plurimum non semel sed bis, & interdum ter phlebotomia adhibenda est. Suppressas uerò hæmorrhoidas, & menses itidem suppressos, omnino reuocari, & prouocari debere clarissimum est: quia remedia hęc præter id, quod totum corpus euacuant, & prauos succos cum sanguine mistos inaniunt, à capite ipso probè reuellunt. Simili modo post totius euacuationẽ expurgationemq;, ad maiorem reuulsionem, conuenientissimæ sunt cucurbitulæ scarificatę primũ scapulis, deinde occipitio affixis & postremo pro materiei iam influxæ deriuatione & eradicatione maximè expedit venam frontis, & eas, quæ sub lingua sunt, adaperire, & tandem affecto loco hirudines admouere, ac permittere, vt sanguis sufficienter egrediatur. Sunt igitur & iuxta nares, & iuxta aures ex utraque parte applicandæ, una scilicet post aliam: donec satis sint. Et ut facilius adhœreant, & vitiatum locum appræhendant, oportet ipsas in calamo arundineo subtili imponere, calamumque deinde loco, cui admouere volumus, prius cum vino fricato adhibere, quia statim adhærent. Quandoque etiam per venas nasi & labiorum, prout necessitas id exigit, sanguis vtiliter extrahitur. Adhæc pręter venæ sectionem Cucurbitulas, & Hirudines, ad diuersionem reuulsionemque præstandam, nedum suppositorijs acribusq; clysterijs; verum etiam frictionibus, & ligaturis dorsi, & extremarum partium vti expedit. Si verò de medicamentis & primum antecedentem materiam respicientibus sermo fiat, pro ipsius pręparatione, & ornatu, vt postea commodè expurgari possit, maximè probãtur syrupus de borragine, de buglosso, de pomis, de fumaria, & de lupulis cum suis aquis vel decoctis. Et idẽ dicendum de syrupo de epithymo, acetoso simplici, atq; cõposito, sed in hoc malo præstantissimus est, qui Recipit endiuiæ, hepaticæ, lupulorum, capillorum Veneris, buglossæ, borraginis, scariolę ana Manip.j. fumiterræ, scabiosæ, solatri ana Manip.ij. Violarum, rosarum, florum boraginis & buglossæ ana drach.ij. hordei mundi, liquiritiæ, passularum, berberorum, seminis endiuiæ, & portulacæ, cuscutæ ana vnc.semis, senæ, epithymi, polipodij ana vnc. j. stœchadis, anisi, fœniculi, radicum capparis ana drach. ij. decoquantur, & syrupus fiat acetosus cum saccharo. Materia verò optimè præparata, lenitiuo cum diasena, & potissimum cum confectione hamech, necnon cum syrupo de polypod. magistrali, vel id genus alijs, de quib. in curatione lepræ fusius dicemus erit expurganda, & pro necessitate purgatio, ac præparatio iteranda erit. Pro huius autem mali differentijs Topica ipsa pharmaca varia sunt. Si enim rubor absq; pustulis, & vlcere consistat, ei aquæ calidæ, vel aquæ decoctionis paleæ hordeaceæ fomentatione utiliter occurrimus, præsertimq; si post aquæ fotum, facies aqua destillata ex scabiosa, betonica, chelidonio, plantagine, & silere montano simul mistis illinatur, & abluatur: aut etiam aqua apij. Hæc autem bis in die ante cibum fieri debent. Optima autem est ad guttam rubeam discutiendam & omnino delẽdam, etiã si in lepræ confinio sit, aqua, quę ℞ sulphuris viui vnc.j. thuris albi drach.iij. myrrhę drach.ij. camphoræ drach.j. Omnia tenuissimè puluerizentur, & simul optimè mista in libra vna aquæ rosaceæ imponantur, diligentissimèq; misceãtur, & hac aqua facies abluatur, sed in mane eadem facies cum aqua pura sulphuris colluatur. Mirifice quoq; conducit oleũ ouorum inunctum: quod fit Recip. oua mollificata in aceto, & conquassata cũ aqua seminis lini, & fœnigræci, & melle, quibus locus affectus illiniri dẽt. Alij Recipiunt thuris. amyli, mastiches, boraginis mineralis, cerussę ana drach. ij. camphoræ, argenti viui cum saliua extincti ana drach. semis, cum axungia suilla,

Chirurgia.

Ras. 25. continent.

Medicamẽta communia.

Topica.

Si rubor simplex sit.

suilla, gallinacea, & anatina, & oleo rosaceo, & pauca cera fiat linimentum. Vnguentum verò quod per duos, vel tres dies ruborem intendit, & deinde albat, ita conficitur. ℞ sulphur. viui exactissimè triti partes ij. butyri part. vnam: misc. & fiat vnguentũ, quo facies illinatur; sed mane, & sero cũ aqua decoctionis furfuris abluatur; Si vero cũ rubore caliditas, & acrimonia, seu mordicatio iũcta sit, hoc vnguẽto inũgidẽt: ℞ semperuiui vermicularis, nenupharis ana M. j. olei rosac. aquæ rosac. ana q. suf. bulliãt simul vsq; ad cõsumpt. medietatis, & deinde Adde axũgiã agni recentẽ, & cerã albam, & puluerem olibani, & liquefacta omnia agita in vase vitreato, & deinde cola supra vas aquę plenũ, vt mundũ habeatur pharmacũ, & caliditas per ignẽ acqsita tollatur. Nonnulli verò vtuntur ablutione ex succo semperuiui & symphiti minoris, & aceto. Alij locũ affectũ caseo recenti, qui mẽse Maij factus sit, fricari iubẽt. Si vero rubor pustulosus sit, qui quidẽ leprã præcurrit, Gal. ℞ gummi Arabici, spumę maris, aphronitri, thuris, sulphuris viui ana part. æqual. liquefiãt liquefaciẽda, terantur q; terẽda, & fiãt trochisci, & siccentur: postea aliquoties cũ eis in aqua dissolutis facies fricãda est, & medicamentũ ita dimittendũ, donec siccetur. Paulus verò ℞ piperis drach. ij. rutæ drac. iv. arsenici rufi drac. iv. arsenici citrini drac. j. mellis q. s. ad recipienda prædicta, fiat linimentũ. & abluatur facies cum nitro, deinde illinatur cũ prædicto medicamento, & dimittatur per triduũ: postea affectus locus bene fricetur, & abstergatur, & iterũ illinatur, quia vitiũ decẽ noctib. tolletur, absq; eò, quod vel vlcus sequatur, & vestigiũ aliquod in affecto loco relinquatur. Similiter solatrũ syluestre emplastri modo applicitum, necnon folia capparis hoc vitium auferunt. Ad idem valet eruca aquæ contusa, & emplastri uice adhibita per noctem, si mane locus cum tepida abluatur. Alij iubent, vt facies sero lauetur cum aceto scyllitico, & superponatur vnguentum, quod Recip. pyretri. nigellæ, ellebori nigri ana drach. ij. incorporẽtur cum terebinthina, & mane facies cũ aquahordei abluatur, in qua quidem raphani radix incocta sit. Vnguentũ verò quod primis diebus inunctum pustulas auget, deinde ipsas aufert, hoc modo paratur. Recip. sanguinis suilli recẽtis, cerę baccarũ lauri ana drach. ij. sulphuris viui, argenti viui saliua extincti ana drach. iij. cerussę vnc. sem. lithargyrij vnc. sem. aceti albi vnc. j. camphoræ drach. j. s. olei rosac. vnc. j. s. fiat vnguentum, quo sero facies illinatur, & mane cũ vino albo tepido abluatur. Aliud, quod pustulas crassas, & turpissimas inunctũ imprimis multiplicat, deinde eas delet, Recip. ceræ nouæ, baccarum lauri ana vnc. ij. sanguinis suilli recentis vnc. vj. sulphuris, argenti viui extincti ana vnc. iij. cerussæ, lithargyrij ana. j. s. olei rosac. quant. suff. vt f. vnguentum quo sero locus affectus inungatur, & mane cum vino albo calido lauetur. Illinitio autẽ perutilis, quæ breui tempore ruborem, & pustulas tollit, & omnem ipsarum saniem, & virulentiam exiccat, faciemq; perlustrat, fit hoc vnguento, seu linimento: ℞ aquam rosac. & in ea dissolue sulphur viuum, & illine ex ea faciem decem dieb. quolibet sero, & decẽ dieb. elapsis rarius eius illinitio fiat. Optima quoq; est illinitio, quæ Recip. boracis, farinæ cicerũ rubeorum ana drach. ij. camphoræ drach. j. subtilissimè trita misceantur cum succo cœpæ, aut melle despumato, & fiant inde trochisci, qui desiccentur in vmbra: & cum ijs vti volueris, cum succo prædicto, aut melle dissoluãtur, & illinantur. Demũ ubi pustulæ cum exulceratione fuerint, & caliditate, sero pone saponem nigrum super pustulas, & per spacium vnius horæ illum dimitte, & postea ablue cũ aqua decoctionis polipodij, & deinde inunge faciẽ vnguento ita parato: ℞ olei ros. vnc. iij. ceræ drac. ij. liquefac ad ignem, & depone ab igne, & incorpora cum ijs cerussæ drach. j. s. optimè agita, & cum infrigidatum fuerit medicamẽ, incorpora cum eo vinum, & albumẽ oui & postea misce ei argenti viui extincti 3 I. & vtere modo prædicto, donec pustulæ amotæ fuerint & post ipsarũ ablationẽ saponis superpositio nõ amplius fiat. Aliud expertũ ad idem. Recip. radicũ solani, halicacabi, ossis sępiæ ana vnc. ij. axungiæ suillæ recentis lib. j. aceti vnc. j. fiat vnguent. quo sero facies inũgatur, & mane aqua violarum abluatur. Quidam autẽ affirmant expertissimũ hoc: Recip. sulphuris vnc. j. argenti viui extincti, succi hederæ terrestris an. vnc. semis, succi lapatij, fellis porcini ana parum: misceantur, & simul excipiantur, conficianturq; cum sepo arietino, uel hircino. Ad malum aũt inueteratum nonnulli vsurpant vnguentum istud. Recip. piperis, boracis ana partes æquales, pulueriza, & distempera cum succo cœpæ, & melle, & vtere. Emplastrum aũt ex puluere solearum antiquarum combustarum cum melle misto confectum, & post cucurbitulas scarificatas retro, & sub mento applicitas, administratum, guttam rosaceam ad tempus sanat, ita, ut nonnunquam per annum integrum ab ea laborantes præseruentur: & ob id rursus emplastrum prædictum

Si rubor pustulosus fuerit.

Si pustulæ exulceratæ sint.

tum loco affecto admoueri debet. Sed quia tum hoc, tum alia topica enumerata mali radices non euellunt, & quã facilimè reuertitur, ob id iecoris caliditatem, & affectionem, quæ quidẽ in intemperie cum materia acri, salsa, & viscida per iecoris venas disseminata, & eis pertinaciter hœrẽte cõsistit, vt homines ab hoc vitio præseruentur, ideo tollẽda est, ijs pręsertim auxilijs, quæ in lepræ curatione infra proponẽtur, & in secũdo libro, in sermone de calida iecoris intẽperie apposita sunt. Sed hoc in loco illud annotasse sat erit, quod ad iecoris feruorem attemperandum, & ad malũ propositũ remouendũ, guttamq; rosaceam omnino fugandã, præter serum lactis caprini cum succo cichorij propinatũ, mirificè conducit aqua virginis montis Orthoni, siquis ea in potu vtatur. Hæc enim vt experientia comprobauit, si duob. annis in potum sumatur, hepatis feruorem optimè contemperat, & faciei ruborẽ tuto, & omnino delet. Nã aquæ Calderianæ, quæ in agro scaturiunt Veronensi, ẽt si magis refrigerent; non ita tamen tutæ sunt: quoniam illis plerunq; magna symptomata, & tũ ventriculi, tũ lienis frigidi affectus succedunt. Victus aũt ratio, excepto aere, qui ad caliditatẽ vergere debet ratione materiæ influxæ, quæ facilius ab eo digeritur, in reliquis, cibis scil. & potibus, & alijs, ad frigidum declinare debet, de qua in scabie quoq; curanda dicetur. Eadem quoq; victus ratio refrigerans, sed vna exiccans in exanthematibus, quæ Esseræ dicuntur conueniens est, præsertim vbi sanguis feruẽs cum bile mistus sit, quæ autem viuendi ratio in reliquis pustulis sanguineis conueniens sit, cuilibet, qui earum causas cognouit, patere potest. Nam hæc perpetuo causis ipsas producentibus, atque fouentibus aduersari debet.

lib. 2. ca. 14.

Victus ratio.

De Pruritu. *Cap. VI.*

Continuatio.



RIVSQVAM scabiem, quæ inter sanguineas pustulas sola declaranda superest, aggrediamur, operæpretium est, ut de pruritu ipso differamus. Quamuis enim ipse in eorum symptomatum sit numero, quæ in actione læsa, eaque deprauata consistunt; nihilominus scabiem ipsam semper præcedere, & comitari solet. Vnde scabies nomen hoc à scabendo, seu scalpendo traxit: Scabunt autem seipsos homines non alia de causa profecto, nisi quia pruritu infestantur. Insuper in pruritu alioquin absque scabie proueniente, fere coniungitur cutis asperedo, quæ cutis læuorem adimit: At aspredo ipsa à paruissimis quibusdam veluti pustulis oboritur, quæ quidem pustularum quodammodo initia quędam sunt. Idcirco de pruritu non solum vnà cum pustulis, verum etiam antequam scabiem ipsam explicemus, nobis est agendum, nam pruritus scabiei præludium quoddam est: & tanta inter hos duos affectus affinitas intercedit, ut Guido de Cauliaco, Nicol. Florentinus, & plerique alij Auicenam secuti, eodem capite, atque sermone de pruritu, & scabie pertractarint. Pruritus itaque siue prurigo, qui Gręcis Chnismos, Hippocrati Xysmon dicitur, ut ex ipso Galeno colligere licet, est tangendi functio deprauata partium cutanearum propter prurituosam, seu acrem materiam in eis quiescentem, earum vnitatem leuiter soluentem. Ad deprauatum autem tangendi sensum attinere symptoma hoc clarè docuit Gal. qui cum dixisset, tussim, sternutationem, singultum, rigorem, pandiculationem, oscitationem, & horrorẽ quosdam esse virtutis expultricis motus, statim subiũgit, in æqualitatem adeo leues motus ciere, vt huiusmodi motus dixeris propemodum motus non esse, sed tantum sensus, cuiusmodi scil. sensus, subdit ipse, in vlcerosa lassitudine aduertuntur, atque hoc etiam magis in pruritu, in quo prurituosorum excrementorum est tantum sensus, supple tactus. Qui quidem non oblatus, aut imminutus est, vt in paralysi & stupore contingit, sed deprauatus, quia sentit illud quod ex naturæ legibus non deberet sentire. Hanc verò sensationẽ deprauatam in cutaneis partibus fieri, idem Gal. alibi declarauit. Is enim Archigenẽ redarguẽs, eò, quia verbis quibusdã improprijs perperã utebatur: Haud obscura est, inqt, inter pruriginosam sensationẽ dispositionẽq; & vlcerosã differẽtia. Verũ quia crebrò pruriginosa vlcerosam antecedit, atq; soluta, quiescenteq; vlcerosa, in pruriginosam trãsmutatio fieri solet; inde est, quod de ipsis indefinitè confusèq; scripsit Archigenes: vt qui neq; causas vtrarũq; dispositionũ exactè alicubi tractauerit: Verũ nos eas in libris salubriũ præceptorũ pfectè exarauimus. Igit vlcerosus dolor nõ solũ ad cutẽ, sed ad imas quoq; partes, vt

Nomen, & Natura.

Galen. 2. de loc. c. 7. & 2. de sympt. caus. c. 6.

Galen. 2. de symp. caus. 6.

Galen. 2. de loc. c. 6.

ossa extenditur. Pruriginosus autem reuera ad solam superficiem pertinet, non tamen primario, pro ratione ipsius propria; sed per accidens, eò, quod densior subiectis sibi partibus cutis est. Horum ergo dolorum vterque propriæ dispositionis est accidens: fiunt autem ob acres quosdam humores: atque tantum ipsi, quantū dispositiones ipsæ, inter se differunt. Hæc ille. Ex quibus etiā verbis clarè liquet, pruritum fieri propter acrem humorem, siue materiam, quam alio in loco non acrem, sed prurituosam vocauit. In pruritu enim, scribebat ille, prurituosorum excrementorum est tantū sensus. neque enim aliter ea nominare datur, nisi quis nitrosa ea, & salsa, vel amara nominare velit. Talis namque natura eorum est. Licet autem id intelligas tum per ea, quæ extrinsecus habentur, veluti vrticam, & scyllam, & muriam, & mare, aliaque id genus: nihiloq; minus per ea, quæ in ipso sunt corpore. Quippe illotos, & sordidos, & qui cruditate laborant, & qui nutrimenta mali succi comedunt, hos pruritus exercet: multoque magis scabiosos, & leprosos; propterea, quod in his affectibus & copiosior, & crassior est vitiosus succus. Quo vtique & diutius, & magis scabunt, quàm vlli alij, qui citra talem affectum pruriunt, nec tamen iuuantur, nec si seipsos immodicè scabendo excorient, propterea nimirum, quod eiusmodi succus infixus in ijs manet, ac (vt sic dicam) cuti impactus hæret. Non enim adeo exiguus ac tenuis est, sicut in illotis, aut sorde affectis, sed plurimus, & crassus, interim verò & glutinosus. Omnia igitur eiusmodi symptomata à vitioso succo proueniunt. Dissident autem inter se causæ tum qualitate, tum magnitudine, itemque quiete, & motu. quippe tenuis, salsus, immotusque succus in ijs est, qui pruriunt; paucus, tenuis, mordax, & immotus in vlcerosis affectibus: Multus, salsus, crassus & immotus in lepris, & scabie: Paucus, tenuis, & mordax cum exiguo motu in horroribus: Quod si vel vehementius mouetur, vel copiosior, mordaciorve est, concutientem rigorem infert, non horrorem. Hæc Galenus. Ex quibus etiam patet acrem, & prurituosam materiam, quę pruritum creat, in partibus cutaneis quiescere, non autem moueri. Cum autem quiescat, & cutaneis partibus hęreat, mirum esse non debet, si in eis maiorem actionem promat, & diutius persistendo, & hærendo earum vnitatem soluat; non tamen vehementer, velut in dolore exacto ac proprio contingit, cui etiam vlcus, & soluta vnitas ea de causa sæpe succedere, vbi diutius perduret, consueuit, sed leuiter, quia materia paulatim in partes propositas sui acuta, & acri qualitate agendo pruritum potius, quàm dolorem propriè dictum excitat. Verum ambiget quis, quonam pacto pruritus ab acri materia continuum soluente excitari possit, cum ea, quę continuū soluunt, dolorifica potius sint? Nihilominus experientia in pruritu contrarium potius nobis ostendit, cum is voluptatem non exiguam in nobis excitet. Hinc Socrates in Phædone referente Platone, paulò ante mortem, dum crura, antea compedibus vincta, pruriginéq; obsessa scalperet, fassus est, se nullam antea maiorem voluptatem percepisse. Huic ambiguitati respondet Gal. ex qua responsione clarius adhuc apparebit, quomodo pruritus ab acri materia, eaq; immota proficiscatur. Is enim causam voluptatis, quæ in vsu Venereorum percipitur, declarans, dum f. humiditas illa ante seminis eiaculationem, excernitur, hunc in modum scribit. Quæ humiditas (inquit) præter dictū antea vsum, alium quempiam erat præstitura maximū, vt quæ acrimoniam quandā, & mordacitatem habeat. Quod humoris genus omnium maximè potest partes ipsas ad agendū excitare, voluptatemq;, dum ipsæ agunt, præbere. Quod si parua quædam, ac leuia magnorum ac mirabilium naturæ operum exempla, quò res sit clarior, in hanc disputationē oportet afferre, eiusmodi quiddam mihi accidere intellige, cū humores hi serosi incalescunt, quod maximè accidit, cum humores acres sub cuti animalis sæpe sunt aceruati, titillant enim tunc, ac prurituū excitant, & suo motu voluptatē afferunt. Quando igitur non modo eiusmodi humores vacuari postulant (eoq; nos excitant, ac pungunt ad sese excernendum) verum etiā spiritus multus, ac calidus expirare gliscit, incredibilem quendā existimare oportet esse voluptatis excessum. Præterea cum partibus his natura sensum, quam cuti, longè exactiorem propter eandem vtilitatem tribuerit, mirum amplius videri non debet, neque cur ipsis illinc voluptas maior accedat; neq; cur cupiditas ingens ipsam præcedat. Ex quibus verbis clarè colligimus acres humores, qui pruritum excitāt, non alia de causa voluptatem afferre, nisi suo motu, & quia vacuari postulant, & ad sese excernēdos nos excitant. Dum igitur nos scalpellatione ipsa huic excretioni opē ferimus, quia tūc & ab extrinseco motu digitorū, & ab intrinseco ab excretrice vi prodeunte facilius mouētur, suo motu voluptatē afferunt, non tamē ante scalpellationem,

Galen. 2. de sympt. caus. cap. 6.

Dubitatio.

Solutio.

Galen. 14. de vsu par. c. 9.

nem quia tunc immoti persistunt, & subinde solum pruritum, & veluti dolorem quendam excitant. Quamuis enim cutis sensus non ita exquisitus sit, sicut genitalium partium: attamen materia, quæ in cute pruritum excitat, venerearum partiũ humiditatem illam acrimonia & mordacitate superat. Quo fit, vt mirum non sit, si post scalpellationem voluptas statim in dolorẽ vertatur. Vnde optimus ille Socrates perpulchrè post voluptatem dolorem percipiens pronũciauit, naturã, quæ duo contraria simul excipere non potuit, eorũ saltem apices colligasse. A scabendo.n. postea dolor suboritur, tum quia ex fricatione illa noui ad locum trahuntur humores, vti rubedo post scalpellationem perueniens nobis ostendit: hi aũt tracti humores vnitatem soluunt: tum quia ex affricatione mitior benigniorq; humoris portio exhalat (vnde post ipsam scabiosæ pustulæ subsequi solent) & acrior, quæ remanet, portio motu illo agitata vnitatem non amplius leuiter, vti prius, sed vehementius continuũ soluit. Ob id pruritu laborantes, quantũ possunt, à scabendo abstinere debent. Ex Gal. itaq; superius descripta auctoritate apparet, quænam huius mali continua, & immediata causa sit. Prurituosa siquidẽ excremẽta, vt ille ait, nitrosa, salsa, & amara sunt. Talia aũt sunt nedum bilis tum flaua, tum atra, seu exusta melancholia, verum ẽt salsa, & putrescens pituita. Antecedentes pariter necnon aliæ remotiores & primitiuę huius mali causę ex eadẽ auctoritate Gal. citata elici possunt. Quippe illotos, scribebat ipse, & sordidos, & qui cruditate laborant, & qui nutrimẽta mali succi comedunt, hos pruritus exercet. Quibus addit Auic. quod vtentes cibis dulcibus (hi.n facile in bilem aptam aduri vertuntur) salsis, acribus, & amaris, pruritu facile capiũtur. Verum quoniam ilicò post subdit Gal. quod pruritus multò magis scabiosos & leprosos exercet, ideo in sequenti sermone de Scabie de reliquis pruritus causis vberius pertractabimus. Nam eædẽ ferè tum scabiei, tum pruritus causæ sunt. Verum qm̃ apud Medicinæ proceres, Gal. inquã, & Auic. non parua de causarum, quæ pruritum & scabiem generant, diuersitate extat controuersia: Siquidem Gal. vt ex eius verbis propositis patet, vult pruritum ex tenuiori; scabiẽ verò ex crassiori materia generari: Quam quidem sententiam tum Paulus, tum Auenzoar secuti sunt: Auic. verò reddens causam, cur in pruritu non sunt pustulæ, sicut in scabie, apertè inquit, hoc contingere, eò, quia scabiei materia tenuior est, & subinde totum oppositum sentire videtur: Quem quidem Halyabbas, Serapio, & alij Arabes sequuti sunt: Et non absque ratione: quia si humor in pruritu non exit (inquiunt isti) in Scabie verò exit, apparet humorem illum, qui non exit, crassiorem esse eo, quia extra cutim egreditur: Idcirco vt hoc tollatur dissidium, & rei veritas eluceat, animaduertendum in primis pruritum duplicem esse, videlicet vel sine pustulis, uel cum pustulis, & scabie: Vnde dum quærimus, quænam sit crassior materia? An pruritus, an scabiei? conferimus materiam, quæ solum pruritum sine pustulis creat, cum illa, quæ pruritum cum scabie coniunctum generat: Nam in scabie longè maior intensiorque pruritus fit, quam in simplici pruritu sine scabie. Hac tradita distinctione, quæsitoque hunc in modum explicato, rursus sciendum, quod pruritus simplex, & sine pustulis, & scabie duplex est: Vel enim est leuis, qui sola scalpellatione tollitur; vel est fixus, atque perdurans, qui maioribus quoque auxilijs vix cedit. Similiter scabies & ipsa duplex est, videlicet vel sicca, vel humida. Sicca illa dicitur, in qua nihil excernitur; vel illud, quod exit, crassum, terreum, ac siccum est: Humida verò illa est, in qua materia saniosa tenuis, & acris, aut crassa, atque sordida egreditur. His ita distinctis, si de leui pruritu sermo sit, nulli dubium, huius materiam cuiuscunque scabiei generis materia tenuiorem esse; Cum enim ex parua scalpellatione, ac loci frictione exeat, & extra ambas cutes, & epidermidem quoque ipsam, sub qua coercita detinebatur, euaporet, necesse est, ut in collatione ad scabiei materiam tenuior de necessitate sit. nam propter sui subtilitatem huius leuis pruritus materia inter cutem, & cuticulam epidermidem dictam non retinetur, sed ad extrinsecam cutis superficiem expellitur, pruritusque cessat. Altera autem ex parte si de sicca scabie loquamur, cui dubium, quod huius materia etiam ipsius pruritus fixi, & stabilis, pertinacisque materia crassior est, quemadmodum etiam longè crassior est illa, quæ Lepram producit. Nam vt Galeni clarissimum habemus testimonium, nedum Lepra, verum etiam Scabies ab humore oritur melancholico, quo quidem in corpore nostro alius humor, qui crassior sit, non reperitur. Hanc autem fuisse Galen. sententiam, ex eius verbis claret, dum inquit: Ceterum Lepra gignitur ex humore melancholico, non secus quam Scabies, & morbus, qui Elephas nominatur, atque his coniunctus pruritus est. Nam

Marginal notes: *Causæ.* — *Galen. 2. de simpt. cauf. c. 6.* — *Quid differat pruritus materia à materia scabiei.* — *Galen. 2. de simp. cauf. 6.* — *Auic. 7. 4. trac. 2. c 6.* — *Gal. 3. de humor. commẽ. tex. 20.*

illoti, & sordidi, & quos cruditas exercet, & qui cibis mali succi vescuntur, pruritur conflictatur: multosq; magis scabiosi, ac leprosi: propterea, quod in his affectib. humor est & copiosior, & crassior: & copiosissimus in cute manet. Hæc Gal. Ex quibus clarè cōstat, ipsum voluisse scabiem ex succo melancholico generari, quod quidem non nisi de ea, quæ sicca est, intelligi potest. Et ita Gal. dictum tum in leui pruritu, cuicunq; scabiei generi comparato, tum in scabie sicca, cuicunq; pruritus generi collato, veritatem habet. Si verò pertinacem, & fixum pruritum cum humida scabie conferamus, cum hæc adhuc duplicis sit speciei, si de ea fiat sermo, in qua materia saniosa, tenuis, & acris egreditur, & totum aggregatum materię, quæ huius est auctor, simul sumptum cum materia pruritus pertinacis comparemus procul omni dubio huius pruritus materia sui natura crassior est, quia, vt innuit Gal. naturā sapit melancholicam, seu atrabilarem. Nam Gal. in citata superius auctoritate, cum dixisset lepram, scabiem, & elephantem ex humore melancholico generari, statim subdit his cōiunctum esse pruritum. Quam etiam naturam tum ex ipsius pertinacia, durationeq; tum ex eo, quod senes, atq; decrepitos, qui frigidis crassisq; succis scatent potissimum exercet. Ex aduerso autem saniosi, tenues, & acres humores humidam scabiem producentes sui natura tenuiores sunt, ob idq; licet pruritum vehementiorē seu intensiorem generent; attamen huius scabiei genus minus perdurat: quia tales succi vehementer expultricem irritant, & facile tum euacuantur, tum discutiuntur. Et hac in re id, quod Auicennas pronunciauit, veritatem habet. Veruntamen, si ex altera parte fixi pruritus materiam cum ea, quæ humidam scabiem, sed crassam, & sordidam gignit, conferamus, possumus facilimè Galeni sententiam tueri, statuereq; pruritus materiam tenuiorem esse. Sed, ne ratio, & instātia eorum, qui Auicennæ partes tuentur, nos fallat, quemadmodum plerosq; decepit, animaduertendum imprimis, vtramq; positionem falsam esse. Dum enim aiunt pruritus materiā inter duas cutes coerceri; Scabiei verò materiam egredi, & proinde hanc esse illa tenuiorem, maximè hallucinantur. Nā primo verum non est pruritus materiā secundū se totā sub cuticula detineri: quia magna ipsius portio difflatur, euaporatq; & per insensibilem transpiratū egreditur, quia ab innato calore paulatim attenuari digeriq; potest: pruritus aūt perdurat eò, quia noua materia ad eandem cutim transmittitur, quemadmodum etiā in lepris, & scabie euenire cernimus: in quibus copiosa materia, eaq; crassior, assiduo in magna copia è cute decidit, & assiduò, singuloq; die noua materia rursus colligitur. Adhæc una cum pruritu frequentissimè aspredo cuti s connectitur, quæ quidē materiei egressum arguit. Quinimo nonnulli dixere scabiē, & pruritum in materia conuenire, sed in loco differre: quia scabies oritur sub cute; pruritus in exteriori parte cutis. Neq; minus falsum est, scabiei materiam vtramq; cutē permeare, & egredi: quia etiam ipsa, vt manifestissimè oculis cernimus, sæpissimè sub epidermide cuticulaue detinetur. Si enim exiret, scabiem nullo pacto generaret. Sed dato, quod aliquo pacto egrediatur, & epidermidem quoq; permeet, adhuc magis labuntur, dum ex hoc ipsam esse tenuiorem colligunt: non enim cuticulam pertransit, eò, quia sui tenuitate eius poros permeet; sed quia ipsius vnitatē sui acrimonia corrodēdo soluit, vt sensibus apertè patet. Quare longè melius fecissent, si falsis positionibus posthabitis, potius quæsiuissent, Cur quædā pruritus materia vna pustulas creet; quædā non? vel Cur scabies pustulosa sit; fixus autem pruritus pustulas non creet? Cui quæstioni nos facile respondemus, dicendo, fixi pruritus materiā pustulas non producere, quia in relatione ad scabiei materiam & pauca est, & disgregata, siue ad minimas partes redacta. Vnde quidam Arabs magni nominis inquit, materiam pruritus hoc symptoma procreare, quia est mordicatiua faciens sui mordicatione euenire in loco solutionem multi numeri, quod præstare non valet, nisi dispergatur ad plurimas partes. plurimum autem non dispergitur, subdit ille, nisi subtilis sit. Quod si quis vlterius quærat, cum extra cuticulæ superficiem externam non expellatur, sed intra ambas cutes detineatur, facilius adhuc responsum dabimus. Nē dum enim id euenit propter sui crassitiem, verum etiam propter multas alias causas, quarum potissima solet esse humoris visciditas, & lentor, quā quidem tetigit Auicena dum dixit, in materia pruritus maiorem salsedinem, quam ipse bauracitatem vocat, inueniri. Salsedo autem non nisi in pituita ipsa, eaque viscida fieri nata est. Insuper sæpissimè humor pruritum faciens non extruditur propter expultricis facultatis imbecillitatem, & propter cutis meatuum angustiam, quæ sæpius in corporibus immundis reperitur, quæ exercitationem, fricationē, & dulcis aquę balneum consuetum dimittunt. Quæ quidem causæ sæpe vna ad pruritū ... inducendum

Gal. 3. de humor. com. 20

Alia dubitatio.

Solutio.

Halyabb. 8. theor. & Zoar in pp. tract.

Alia instantia.

Responsio.

inducendum concurrunt: quemadmodum in senũ, & præsertim in decrepitorum pruritu contingit: in quibus virtutis expultricis languor, pororũ seu meatuũ cutis angustia (quæ ex sordicierum, & excrementorum obstructione, necnon cutis densitate, atq; duritie oritur) & materiæ viscidítas, & crassities concurrunt. Adhæc pruritus materia ad differentiam illius, quæ scabiẽ procreat, caret vehiculo: & cũ minus acris, & nõ erodens sit, minus vim excretricem irritat, & cuticulæ cõtinuitatẽ nõ soluit. Ex dictis verò facile est pruritus differentias colligere, quæ vel penes ipsius remissionẽ, & intensionẽ, leuitatem, & pertinaciam, necnon penes succi ipsum generantis diuersitatem, desumi possunt. Vel enim pruritum solum, aut ẽt cutis aspredinẽ, vel vna pustulas quoq; gignit. Et dum solum prurituũ efficit, vel est adusta melancholia, vel salsa & adusta pituita, vel alius humor adustus, & acris. Vt autem hoc malum vna cum suis differentijs dignoscatur, signis paucissimis indiget. Dũ enim pruritus absq; pustulis incidit, cutis praua illa sensatione conflictatur, in qua etiam si carnes scalpellentur, nihil tamen extruditur, nisi interdum parua quædam aquositas, aut aliquæ paruæ squamulæ furfuraceæ. Quod si ab adusta proficiscatur melancholia, in cute ipsa aliqua liuiditas, aut nigredinis vestigium apparet. Si ab adusto sanguine malũ fiat, non absq; aliquo rubore per vniuersum corpus latius diffunditur: Sin ab acri, & bilioso humore dependent, pruritus intensior euadit, & ex scalpellatione maior delectatio, & post hãc maior dolor, & mordicatio suboritur. Insuper vt succus pruritum generans exactius distinguatur, corporis temperatura, habitusq; ætas, vitæ genus, ante actaq; victus ratio, necnon regio, anni tempus, & cœli status consideranda sunt. Sicuti autem pruritus ex adusto sanguine, aut bile ortus citius finitur: ita ex salsa pituita factus diutius durat; sed diutissimè ubi à melancholia adusta ortum habet. In senibus verò mitigatur quidem, sed vt Auicennas, & Paulus testantur, raró curantur: sed rarissime in decrepitis tollitur propter causam superius propositam. Pruritus autem, dum protrahitur, & inueterascit, frequentissime tandem in scabiem degenerare solet, quia materia copiosior collecta, & per morã putredinem, & prauiorem qualitatem contrahens expultricem vehementius irritat, & cuticulam erodit, & exiens pustulas gignit. Quinimo recentes quoque pruritus, eisdem de censis, frequentissime in scabiem migrant. Scribit autem Auẽzoar, quod pruritus ille, in quo maior efficitur ex scalpellatione delectatio, peior est omnibus in inquietudine, & tædio, quia ex bile aeri ortum ducit. Scribebat autem Hip. Lepras, & circa articulos dolores, vbi futuræ sunt pluuiæ, pruritum excitare. Si enim verum est, inquit Gal. corpora animantium cum aere nos ambiente immutari, mirum non est, si per imbres humidiora fiant, præsertim circa cutem, & articulos, cum partes hæ ambientis humiditati magis sint expositæ: propter quam magis relaxantur, & ad suscipiendum promptiores fiunt. Quocirca cum pluuiæ futuræ sunt lepræ pruritum excitant, & articulorum dolores hominem vexant, & alia huius generis vsu venire consueuerunt.

Differẽtiæ.

Prognostica.

Hip. 3. de humoe. sen. tex. 20. Gal. in com.

De pruritus curatione. *Cap. VII.*

Indicationes.



CVM autem symptoma hoc habeat esse in fieri, ob id nulla ab eo curatoria desumitur indicatio, sed vt tollatur, oportet ad humorem, causamque illud producentem oculos dirigere. Vnde si de materia iam influxa, quæ contentiua pruritus causa est, sermo fiat, hanc nonnunquam oportet tantummodo euacuare, interdum etiam contemperare. Quamuis enim primus in pruritus curatione scopus sit materiæ euacuatio, & eradicatio: qa hac ablata pruritus quoque prorsus cessat, nihilominus nonnunquam adeo pertinaciter hæret & fixa est, vt euacuantibus prorsus non cedat; altera autem ex parte pruritus etiamsi ex se non ita vrgeat, ut ad sese curationem trahat, nihilominus ex accidenti, quatenus scilicet vigilias accersit, & vigiliæ vires omnes prosternunt, posthabita materiæ euacuatione, cogimur ad humectantia, & ea, quæ materiam pruritus efficientem attemperare valent, confugere, Vt autem materia euacuetur, nedum discutientibus, & attenuantibus; verum etiam, si opus sit, detergentibus, & emollientibus agendum, & si materia euacuationi resistat propter cutis nimiam densitatem, hanc laxantibus, & rarefacientibus medicamentis corrigere oportet. Ratione

tione autem materiæ, quæ fluere ad cutem potest, oportet vti his, quæ eam euacuare, & reuellere, auertereque possunt, & nouæ materiæ regenerationem prohibere: & proinde tum prauam victus rationem, vitiosaque alimenta subtrahere, tum viscerum intemperantias & obstructiones, præsertimque iecoris feruorem, qui frequentissimè præcipua pruritus origo esse solet, remouere. Quare pro materiæ antecedentis ablatione, primo die exhibito leniente pharmaco, quod primos ductus expurgare possit, quale præsertim est flos cassiæ, aut electuarium lenitiuum, ad vnc. j. & s. postero die, si virtus ætasque id permittant, dextri cubiti vena iecoraria secari debet: quia fluens ad cutem materia euacuatur, atque reuellitur, & vnà iecoris caliditas attemperatur. Quod si hæmorrhoides suppressæ sint, aut menstruæ purgationes, hæ hirudinibus, & venæ tali apertione erunt reuocandæ. Similiter post totius corporis exactam expurgationem, pruritu perseuerãte, inter præsidia Chirurgica non modo frictiones ipsæ; verũ etiam cucurbitulæ scarificatæ, sine parua illa cornua mirum in modum probantur: Quæ quidem præsidia pro materie coniunctæ; & cuti adhærẽtis deriuatione, & omnimoda eradicatione, in vniuerso corporis ambitu, & potissimum in locis, quæ magis pruritu conflictantur, administranda erunt. Post venã sectam, aluumq; lenitã, seu post primas vias inanitas, vt nitrosi, salsi amariq; succi ad euacuationem parentur, erunt exhibendi syrupi, qui refrigerandi & humectãdi, necnon aliqua ex parte, vbi crassi, & viscidi succi redundant attenuandi, & dissecandi vim habeant, erunt exhibendi. inter quos pręceteris probantur syrupus de fumoterræ, de lupulis, de cichorio, de duabus radicib. & de capillis veneris ad aliquam attenuationẽ pręstandam, de boragine, de endiuia & oxalida. Qui quidem decoctione endiuię, cichorij, buglossi, & vbi multa succorũ acrimonia id exigat, etiã portulacæ, atq; lactucę dilui possunt; quib. si pruna Damascena ad vnc. semis adijciantur, præstantiores euadẽt. Postea ijdẽ vitiosi succi erunt expurgandi ijs præsertim pharmacis, quę humores adustos, nitrosos, & acres electiuè educũt, qualia sunt sena, epithymũ, elleborũ nig. polypodium, myrobalani nigri, chebuli, indi, & id genus alia. Propterea Syrupus de Polypodio magistralis maxime probatur, qui ad dosim vnc. iiij, vel v. pro necessitate potest præberi. Similiter cõfectio Hamech, quia omnia iam dicta recipit, & alia multa, quæ salsos, nitrosos, & adustos humores purgant, mirũ in modum probatur; cuius semiuncia, aut drach. iij. cũ vnc. j. electuarij lenitiui, vel diacatholiconis in bolo præsertim, propterea, quod gustui ingrata est, offerri potest. Vbi aũt pruritus rebellis admodũ est, cogimur nedum purgationem ipsam, verum etiam phlebotomiam nonnunquam iterare, quæ solet esse præstãtissima, præsertim vbi cacochymia optima victus ratione, de qua post, ad probiorem succum fuerit redacta. Non incõuenit quoq; dum serum lactis caprini, & contemperationis, & euacuationis gratia exhibetur, succũ fumiterrę ad ij. & iij. & plures vncias per vices cum eo permiscere, & in primo cyatho propinare. Dum enim volumus & ipsius materiæ adustionẽ, & iecoris feruorẽ attemperare, nullum pręstantius auxiliũ excogitari potest sero lactis caprini: quod potest ad dosin vnius, vel etiã ij librarũ, si ventriculus non sit adeo imbecillis, per os propinari, Alij verò nedũ senæ folia, verũ etiã epithymũ in ipso prius per noctẽ infundunt, & exhibent ad librã vnam. Quidam Recipiunt seri lactis caprini lib. j. myrobal. nigrorũ contus. drach. j. Epithymi drach. j. s. fiat infusio per noctem integram & facta expressione, calidum summo mane, & per plures dies, per quatuor horas ante prãdium exhibeatur. Vbi vero solum exhibetur, etiam in maiori quantitate, vt ad ij & iij libras, si nil prohibeat, præberi potest. hoc enim auxilio iecoris feruor extinguitur, & prauorũ humorum reliquiæ educuntur. Inter ea verò, quæ materiæ coniunctæ, & iam influxæ acrimoniam mirificè contemperant, & quadantenus discutiunt; est dulcis aquæ moderatè calidæ balneum, siue lauacrum, in quod laborans mane per duas horas ante prandiũ descendere debet, in eoq; per semihorã, vel per integrã horã immorari debet. Dũ verò cupimus materiã influxam valentius discutere, & vnà cutaneas partes, ne ita prompte recipiant, roborare, non dulcis aquæ, sed medicatæ, & sulphureæ, aut ẽt salsæ lauacro, vnà cũ Auicenna, vti expedit: Sed post exquisitã totius corporis euacuationẽ, atq; purgationem. Similiter, vbi balneis vti nõ licet, pro materię coniunctæ attemperatione licet linimento aliquo affecta loca inungere. Quod ex vnguẽto rosaceo Mesues, oleo amygdalino, mucilagine maluarũ, vel altheæ, & vbi magis vrget, cũ oleo violato, aut nenupharino, & narcotico aliquo, & paucula cerę poterit parari. Succus autem apij cum aliquo oleorũ frigidorũ inunctus vtilissimus est. Pro eiusdem verò materiæ discussione, & cutis exiccatione, & omnimoda pruri-

Curatio.

Chirurgia.

Pharmacia Præparantia, & Purgantia.

Topica.

tus

tus eradicatione, vulgus & laborantes fere omnes absq; medicorũ cõsultatione, sulphure ipso vnà cum sale, & oleo communi, vel amygdalarum dulcium, aut etiã pauco aceto permixto vtuntur: quo pulsus prẹsertim, & vbi malum pertinacius est, affecta loca omnia fricant, & inungunt, dum prẹsertim eunt dormitũ: idq; non semel & bis sed pluries, prout necessitas, & symptomatis pertinacia id requirit. Quidã ẽt vtũtur decoctione oroborũ, qua loca affecta lauant. Alij inunctione ex succo ebuli, cũ oleo communi, probe abluto prius in aqua, postea in aceto. Alij decoctione cicerũ alborũ. Quidã inunctione cum oleo de costo: quia quã citissimè pruritum tollit. Ad fortẽ autem pruritum admirabile est hoc vnguentum: ℞ radicem henulæ, seu helenij mundã, & in aceto coque, & vbi bene cocta fuerit, in partes subtiles incide, & cũ axungia optimè tere: deinde cum ijs argentum viuum incorpora; sed extinctum: postea cum aceto in quo cocta fuit henula, distempera, & inunge. Sal quoq; ammonia cũ cum oleo nenupharino, vel papauerino mistum fortem pruritum sedat, & prẹsertim partium genitalium. Aliud. ℞ sulphuris uiui, lithargyrij ana drach. iij. cerussæ plumbi drach. ij. succi hyoscyami, seu papaueris nigri, & olei violati, & ceræ quant. suffic. fiat vnguentum. Sed tum ad contemperandam, tum aliquatenus discutiendam materiam opportunum medicamen est, quod ex therebinthina, & butyro, aut etiam oleo amygdalino simul mistis paratur, si eo loca pruritu affecta inungantur. In senibus uerò pro curis meatuum rarefactione, & materiæ pertinacius hærentis detersione, probat Auic. vini fecem, & anethum. Experientia quoq; maximè probatũ est medicamentũ Pauli, quod ℞ farinæ lupinorum (hæc enim cutẽ sufficienter detergit) vnc. iiij. sulphuris puluerizati (quod à proprietate quadam pruritus materiã fugat) vnc. ij. macerentur aceto, & violenter corpori affricentur. Laudantur quoq; puluis albi ellebori, necnon sublimatum ipsum, quæ tamẽ in parua copia, & cũ alijs mista vsurpari debent. Necnon succus lapatij acuti, quod oxylapathum dicitur, puluis apij, & perdicij, & id genus alia, de quibus fusius in sequenti capite dicemus; & hæc omnia corpori affricari debent; & deinde semper post affricationem huiusmodi puluerum utendum dulcis aquæ lauacro. Gal. verò probat tãquam optimum medicamentum ex garo, sulphure, & oleo confectum, & applicitũ. In victus aũt ratione Aer in actiuis tẽperatus eligatur; in passiuis ad humidum parũ inclinet, & cibus optimi sit succi ad frigidum, & humidũ vergens, vel in actiuis tẽperatus, & qui ẹgrè corrumpatur, facile tamen concoquatur, & distribuatur. Vnde sicuti acria salsa, amara, acida, & dulcia sunt fugienda, necnon oleaginosa, & præsertim frixa, ita pullorũ, hœdorum, vitulorumq; carnes ptisana hordeacea, farri, aliceq; succus, & huiuscemodi aliæ sorbitiones, & potius elixa erunt eligenda. Auicennas ex fructibus melones, acida poma, necnon punica mala dulcia concedit. Quemadmodũ inter olera præter boraginẽ, & portulacam, lactucas coctas pauco aquosoq; aceto, eoq; passulato cõditas offerre possumus. Nã lactuca somnum conciliat, eumq; longiorem efficere potest, qui quidem in hoc malo summopere expetendus, & quia refrigerat, & quia succos concẽtrando ab ipsis cutaneis locis ad interiora reuellit. Qua ẽt de causa ira, vehementes animi motus, necnon venus ipsa, validæq; corporis exercitationes antequã totum corpus exacte purgatum sit, euitari omnino debent. Ob id paruo exercitio, sed ante cibũ vti debent. Aluus vel clysterijs, aut paruis pilulis ex aloe, vel prunis, aut id genus alijs lenientibus lubrica seruanda est. Ita vniuersus corporis ambitus tum lauacris, tum optimis, ac mundis sæpeque immutatis indumentis, ac linteaminibus, ab omni sorditie immunis erit habendus.

Victus ratio.

De scabie. *Cap. VIII.*

Nomen & Natura.



SCABIES à scabendo ita dicta, & Arabibus quibusdam pruritus vesicalis vocata, ut Celso visum est, est cutis pustula durior, rubicundiorque, ex qua eminentiæ, seu postulæ oriuntur quædam humidiores, quædam ficciores; ex quarum nonnullis exit sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens, serpitque in quibusdam cito. Atque in alijs quidem ex toto desinit; In alijs verò certo tempore anni reuertitur. Vt autem alijs placuit, Scabies asprẹdo cutis est, seu leuis exulceratio pruriens, aut interdum rodens. Quæ fit ex humidiore quauis pustula, siue rubida, siue pallida, siue liuida, siue nigra sit: quæ rupta vlcusculum in cute profert humidum; aut etiam interdum

Cels. lib. 5. c. 28. versus finem.

Fernel. lib. 7. de extern. affec. c. 5.

dum expurgata sanie aridum, idq; modo cum prurigine sola, modo cum leui rubore in ambitu, cumque calore, ac dolore. Ex resiccata autem sanie crustula obdurescit, qua sæpe vlcusculum obducitur. Nonnulli uolunt scabiem sub intemperie calida & sicca cum tumoribus cutis, tanquam sub proximo genere contineri: hocque suum commentum Gal. perperam adscribunt: quo nihil iniquius dici potest. Eius porro differentiæ præcipuæ ab efficiente causa, ab ipsa forma, à subiecto, seu parte affecta hauriri possunt. Effectrix autem causa, vel est immediata, & magis proxima, qualis est humor scabiem generans, seu materia ipsius coniuncta, & antecedens; quæ quidem solum loco ipso differunt, non autem specie, & forma: uel est mediata & magis remota, uti sunt causæ, quæ prauos hos humores, qui scabiei materiā tum coniunctam, tum antecedentem prębent, vel generant, multiplicantq;, vel ad cutim ipsam mouent. Iam vero de humore seu materia scabiē producente loquens Auic. statuit materiā scabiei sanguinem esse, omnemque scabiem ex eo produci. Quam quidem sententiam tum Serapio, tum Halyabbas susceperunt, & approbarunt. Nam Serapio ipsam ex sanguine crasso putrescente; Haliabbas ex salsæ pituitæ cum sanguine bilioso admistione fieri dixit. Quod quidem etiā Actuarius inter Græcos affirmauit, inquiens scabiem ex omni humorum mixtione generari. Fuerunt autem hac ratione ducti. Quod enim scabiei cuiuscunq; materia, inquit Auicen. sit à prædominio sanguinea, ex eo constat, quod scabies est, vel esse potest vniuersalis infectio, & communis toti corpori non enim potuisset esse vniuersalis absq; sanguine, qui est materia cōmunis vniuerso corpori, & non alias humor. Altera autem ex parte Gal. tum superiori cap. citato, tum pluribus alijs in locis affirmauit, scabiem esse affectionem melancholicam, eò, quia scil. à materia melācholica ortum ducat. Sed vt hi auctores concilientur, illud in memoriam reuocandum est, quod superiori capite notauimus, nempe Gal. per scabiem illud tantummodo scabiei genus intellexisse, quæ sicca est, & ab humore fit, qui quidem à prædominio est melancholicus; Arabes verò scabiei nomine nedum siccam, verum ēt humidam, & sordidā, & quocunq; modo cutim ipsam defędantem comprehendere voluerunt. Qua posita animaduersione, rursus sciendum Auicenam & alios, qui eum sequūtur, per sanguinē non verum atq; legitimum, seu quartum succū à reliquis contra distinctū intellexisse (nā sic opinio eorū falsa esset) & eorum ratio nullius prorsus momenti, quia etiā lepra vniuersalis, & toti corpori communis infectio est, & nihilominus ex omniū sententia ex humore fit melācolico) sed per sanguinem illud aggregatum, quod ex omnibus constat succis alimentalibus, & alijs alioquin vitiosis humoribus cum ijs commistis, in venisq; consistentibus, & per eas ad totius corporis ambitus nutritionē delatis, intelligere voluerūt. Si enim sanguis pro vniuerso hoc aggregato suscipiatur, quemadmodū suscipi potest, proculdubio verū est, scabiem à sanguine proficisci. Hoc igitur aggregatū vel est à prædominio melancholicū, & fit scabies sicca, quæ in lepræ confinio est, & sub qua Græcorum Psora præcipuè continetur (sub hac enim cutis crassior, siccior, durior, tumentior, & serpentib. pustulis asperior euadit, roditur, ac finditur, & ex se furfuracea quædam nigra excutit: quia ab atra bile oritor, & ob id ægrè sanescit) vel vnus, aut plures ex reliquis prauis succis in eo prædominatur, & oritur scabies humida. Vbi autem in eorum miscella sanguis ceteros exuperat, tunc sanguis vitiosus dupliciter euadit: vel enim talis fit eò, quia à propria natura, atque temperie deflectit; vel quia cum aliquo prauo excrementitioq; & vitioso succo commiscetur. Si sanguis vitiosus fiat, eò, quia à naturali sua temperie recedat, id euenit, dum is vel aduritur, vnde partes ipsius adustæ cum ijs, quæ secundum naturam se habent, permistæ manēt, & fit scabies, quæ exquisitè sanguinea est, & uocatur: Vel corrūpitur putrescitq; sicut inquit Serapio, & scabies pariter sanguinea generatur. Si verò sanguis vitiosus fiat, eò, quia cū vitioso aliquo humore cōmisceatur, tūc, vt scribit Auic. vel permiscetur cū bile flaua, quæ potest esse vel secundū se totā, vel secundū partē adusta, & adustio potest esse vel intēsa, uel remissa, ita vt formā bilis adhuc retineat: vel miscetur cum pituita salsa, & nitrosa, quę scil. propter salsedinē acris & mordax euaserit. Vbi ergo miscetur cum bile adusta, & sanguis in mistione præualet, fit scabies, quæ sanguinea colerica à nonnullis vocatur. Si enim in miscella bilis sanguinē superet scabies ab ipsis cholerica dicitur. Simili modo, si misceatur sanguis cū salsa pituita, & is in mistione vincat, fit scabies sanguinea pituitosa nuncupata, sicuti salsa pituita in mistione dominante, pituitosa appellatur. Vel sanguis miscetur cum atra bile, seu melancholia adusta, quæ præter naturā euaserit, siue ex sanguinis, siue bilis flauæ, siue pituitæ, siue naturalis melancho-

Differētiæ.

Causæ efficientes proximæ.

Auic. lib. 4. F. 7. T. 3. ca. 6.

Actuar. 2. meth. c. 11.

Galen. 3. de humor. com. 20. lib. de tumor. c. 13. 3. de alim. facul. cap. 2. 7. aph. 40. & 11. simp.

Scabies sicca.

Psora Græcorum.

Scabies humida.

Serap. 5. breuiar.

Auic. loc. cit.

liæ exuctione orta sit,& dũ sanguis in mistione atram bilẽ vincit,fit scabies sanguinea melancholica, seu potius atrabilaris dicta. Si verò atrabilis, siue melancholia non naturalis exuperet,exoritur scabies melancholica,quam etiam superius scabiẽ siccam vocari diximus. Vel demum sanguis miscetur cum prauis, corruptis,ac putridis ichoris, serositatibusq; & his vincentibus,ichorosa scabies nuncupari potest. Sæpe autem euenit,vt nedum cum sanguine ipso,verum etiam cum bile adusta, & salsa pituita,& atrabilaribus succis prauæ,ac saniosæ serositates,et ichores misceantur. Dum aũt quidam dicunt,quod scabies potest etiam fieri ex alio humore præter sanguinem,quia scil. salsa pituita potest cum naturali pituita permisceri, & ita scabies exactè pituitosa fieri,nihil prorsus aduersus doctrinã iã propositã cõcludũt,eò qa pituita naturalis, quę in venis est, & alimẽtalis ab omnib. dicitur, est pars ipsius sanguinis,& aggregati illius,quod in venis ipsis pro partium singularũ nutritione

Epilogus. cõtinetur. Vt plurimum autem scabies ex sanguine,aut cum bile adusta, aut salsa pituita,aut adusta melãcholia,& prauis ichoribus, serosisq; sanieb. permisto originẽ ducit,siue is in mistione dominetur,siue alij praui succi ipsum exuperẽt. Sæpissime verò nõ duo,sed plures ex his vitiosis humorib. simul mixti inueniũtur.

Causę remotæ prauos succos generãtes. Causę vero quæ prauos succos iã propositos gignũt,sicut vel internæ,& prauę viscerũ intẽperãtiæ,præsertimq; iecoris feruor,& obstructiones,quę tũ ad ipsum iecur,& vesicã fellea,tum ad lienẽ potissimũ spectant:vel externæ,in quarum numero primũ locum tenent praua alimenta,& vt Auice.scribit,cibaria salsa,amara,& acria,similiaq; eorũ condimenta,veluti sunt aromata,necnon ea, quæ dulcia sunt. Hæc enim omnia & tanquã efficiens,& tanquã materia adustos,salsos,& acres succos creant. Idẽ efficiunt antiquiora,& meraciora,& dulcia vina. Quod autem acris, vt cœpæ, allia, & porra,vitiosa olera,& id genus alia praua esculenta scabiei copiosissimam materiã suppeditent,luculentissimum huiusce rei testimonium refert Galen.tum alibi,tum præsertim in lib.de cibis boni,& mali succi. Quidam etiam affirmant nedum quasdam vitiatas aquas scabiem generare;verum etiam aquam ex rore collectam leprã procreare. Similiter Autumnus, ait Auic.siccam; Hyems verò humidam scabiem creat:quia hæc salsam pituitam; ille melancholiam,& atram bilem multiplicat. Insuper omissio exercitij consueti prauos succos in corpore detinere,& multiplicare valet,necnõ cõsueta venus intermissa,& intermissus cõsuetus balneorũ vsus. Qui enim cutis sordities nõ abluunt,& tegumenta quoq; & linteamina debito consuetoq; tẽpore nõ immutãt,propter sordes in superficie corporis detẽtas, quæ tẽpore acres euadunt,scabiem cõgerunt. Immodicus quoq; labor,nimia ira,& solis ardor acriores succos efficere valent: Sicuti nimia ẽt tristitia atros humores multiplicat. Postremo loco inter causas hoc malũ generãtes à Gal.recensetur Contagiũ: cuius rei causam reddit Alexander Aphrod.inquiens scabiẽ ideo contagiosam esse, quia ex corporis superficie emanat quędã humiditas,quæ cũ viscida sit,facile vicinis corporib. hæret. Ob id scabies humida,quia ab ea sanies & sordes emanãt,est magis cõtagiosa,quam sicca.

Galen.1. de diff.febr. & lib. de cib. bon. & mal. suc.c.1.

Galen.4. de diff.puls.c.1

Alex.2.suo rũ probl.42.

Causæ prauos succos mouentes. Causa verò prauos succos iã genitos ad cutim mouentes, vt in sermone pustularum generali diximus,sunt imprimis exercitatio intempestiua,& præsertim statim à cibo,& quæ impuro existente corpore fit, vt Gal. scriptum reliquit. Quod etiam prius affirmauit Hip.dum dixit,Quod si impurũ corpus exerceas, vlcera prorumpunt. Idem quoq; efficere possunt aquæ calidæ balnea, si præsertim impuro corpori adhibeantur. Idẽ dicendũ de alimentis,ac medicamentis,quæ prauos humores ad cutim deferẽdi vim habẽt,vti sunt vina antiqua,& acria,necnõ dulcia cocta. Eandem vim habet diuturna mora in Sole & prope ignem,ira,furor,corpore præsertim cacochymo existẽte. Similiter vbi quis immodicè seipsum scalpit, materiã ad cutim trahit. Demũ membrorũ nobiliorũ,internarumq; partium expultrix vis sæpe in crisibus(quæ morbos præsertim diuturnos, & quartanas febres iudicare solẽt)humores iã dictos ad cutaneas partes impellit.

Gal. 3. aph. 20.

Hip.5.in 6. Epid. tex. 34.

Differentię à forma & alijs malis cum scabie coniunctis. Differt aũt scabies penes formã ipsam,& alia mala,quæ cũ ea complicãtur,prout est vel sicca vel humida vel cũ magnis,vel cum paruis pustulis,depressis,vel acuminatis,nõ exulceratis,vel exulceratis,magis,vel minus,cũ dolore,vel sine ipso,& cum maiori vel minori prutitu, & pro diuersitate,& copia exeũtiũ,quæ ab illis prodire possunt,& prout recens est, vel antiqua;vt alias differẽtias omittamus,quæ ex generali tũ pustularũ, tũ tumorũ tractatione desumi possunt.

Differentię à subiecto. A subiecto vero seu affecto loco differẽtias desumimus qa scabies vel vniuersum corpus, & totã fere cutẽ externã,vel plurimas ipsius partes,vel vnicã tãtum obsidet,siue sint pedes,siue manus,siue caput. vñ ex ipso capite scabies pessimæ erũpere solẽt,quæ idcirco peculiari nomine sunt insignitæ.

Psydracia, Fauus. Appellantur aũt Psydracia,Fauus,& manantia capitis vlcera,seu Achores, de qb. omnibus in

nib. in sequenti capite seorsum agemus. Cognoscitur aũt scabies, vt tradit Halyabbas ex eo, qđ paruæ pustulæ cũ pruritu incipiũt, & postea vlcerãtur præsertimq; circa carpũ in manib. & circa ossa tarsi, & malleolos in pedib. & potissimũ in spurijs, quę inter digitos sunt, pp harũ imbecilitatẽ, à cordeq; distãtiã, & laxitatẽ, necnõ ob vasorũ, quæ in ijs locis sunt, multitudinẽ: Humorũ aũt scabiẽ producentiũ varietatẽ, ex scabiei seu pustularũ forma, numero, subiectoq; necnon dolore, colore, manãtis saniei specie, & alijs propositis differentijs, & causis humores generãtibus, haud difficulter distinguere possumus. Inquit enim Auicennas, quod illa scabies quæ magis sparsa seu disgregata est, hoc est, quæ maiorẽ pustularũ numerũ habet, & corpulẽtior, id est, magis vnita eo, qa licet pustulas multas producat; quælibet tñ pustula minorẽ ex se occupat locũ, eo, qa cuiuslibet pustulæ materia pauca est, & ob id pustulas paruas efficit, & magnas efficere nõ põt & insuper acutioris est capitis, seu magis acuminata, talis scabies ab humore prouenit magis acuto, seu calidiori, & acriori. Nam calida, & acuta materia est magis apta, vt in multas partes diuidatur, quæ licet sint paruæ quantitatis continuæ, sunt tamen multiplicati numeri, & quælibet pars suam pustulam inducere apta est. Pariter quia materia pauca est, subtilis, & mobilis, & facilis expulsionis, & sui acrimonia magis excretricem vim irritat, pustulam acutam, seu subtilem, præsertim in cuspide, non autem latam efficit. Econuerso autem pustula, quæ latior est, & præsertim penes cuspidem, latiorem occupat locum, & minus disgregata est, & minoris numeri, & est profundior, magisq; depressa, & minus ad extra propulsa, ex humore minus acri, siue, vt Auicennas ait, minus acuto prouenit, propter causas, quas etiam in sermone tumorum præter naturam ex Hipocratis Galeniq; mente declarauimus. Hac enim de causa dixit Hip. latas pustulas non admodum pturire, quia, ut ait Gal. humiliores pustulę à frigidiori, & minus acri fiunt humore, & in latitudinem extensæ magis diflantur. Pariter scabies, quæ cito digeritur, & cum dolore, & forti mordicatione prouenit, ab acuto magis, & acri gignitur succo Quæ verò pertinax & diuturna ægrius digeritur, & absq; dolore fit, & cum pauca vel nulla mordicatione, à minus acri, & acuta proficiscitur materia. Quemadmodum verò in scabie sanguinea pruritus est cum aliqua sensatione iucunda, & in pituitosa pruritus non est multum intensus, sed suaui seu voluptuosa sensatione carens: ita in biliosa pruritus est cum morsu, & punctione, & magis superficialis; in melancolica verò pruritus remissus, & magis in profundo percipitur. Neque huic sententiæ refragatur Gal. dum scriptum reliquit, scabiosos, & leprosos maiori affici pruritu; cum tamen vtraq; hæc dispositio, vt ille ait, à succo oriatur melancholico. Nam tunc Galenus comparat non scabiem melancholicam cum scabie biliosa, aut pituitosa, uel sanguinea. sed comparat scabiem & lepram cum simplici pruritu, sine pustulis, & vult in scabie & lepra maiorem esse pruritum, id est, pertinaciorem, magisq; rebellem, quia subdit, hos, etiam si scalpendo seipsos excorient; pruritum tamen non placare, quia crassus, & lentus humor cuti tenacissimè inhæret, & fixus est. Insuper dum ait Auicenna in melancholica pruritum debilem esse, ipsum de melancholia potius non exusta audire debemus. nam in exusta, & atrabilari pruritus etiam intensus, pertinaxque oriri potest. Præterea in biliosa scabie pustulæ potius sunt siccæ, cum quibus non est sanies, & si aliquid emittitur (quod exiguum est) illud tenue est, citrinum, & partes, quas tangit, mordicat. Melancholica pariter est sicca, & absque sanie, & si quid exit, paruum est, & crassum, & non mordicans. Quod si melancholia adusta sit, scabies vlcerosa efficitur, & pro ratione acutiei, & acrimoniæ ex adustione contractæ cutem erodit, vel non. Pituitosa verò est humida cum pustulis crassis, & latis: &, quando siccatur, & postea scalpitur, ab ea cortices, tanquam albæ squamæ, decidunt. Sanguinea verò humida est, cum pustulis acutis, non latis: in eaque sanies & multa, & laudabili propinqua, & cito generatur. In pituitosa enim sanies quidem multa, non tamen laudabili propinqua, neque ita cito gignitur. Dum uerò pituita salsa est vehementer, & ualde acuta, putredo & sanies in ea parua est; Sed pruritus intensior. Amplius in sanguinea scabie color ad rubedinem vergit, & citrinitatem: in pituitosa ad liuiditatem: in melancholica ad cineris colorem, si adusta non sit: sin adusta sit, ad fuscedinem, quæ etiam nigra relinquit vestigia: in biliosa uerò cutis color pallidus, uel subpallidus esse solet. Adhæc in sanguinea non ita est asperitas, neque fissura: idemque in pituitosa accidit, dummodo in ea multa salsedo, & nitrositas non sit: sed in biliosa, & melancholica fissura est profundior, quam in pituitosa: & in melancholica profundior, quam in biliosa. Vbi verò cum dictis succis plurima serosa sanies, seu ichorosa materia commi-

Manantia capitis ulcera, siue Achores. Signa. Signa materiæ.

Ex forma, & numero desumpta.

Hip. & Gal. 6. aph. 9.

Ex tempore & dolore.

Ex pruritu.

Galen. 2. de symp. caus. cap. 6.

Dubitatio.

Solutio.

Auicen. locus quomodo. intelligendus.

Ex eo quod à scabie manat.

Ex colore scabiei.

Ex alijs qualitatib.

commiſcetur,ab ipſis puſtulis plurimus ichor,ſeu ſeroſa tenuiſque ſanies emanat, & ſcabies humidior adhuc magis euadit. Poſtremo vt particulares humores exactius diſtinguantur,oportet illa communia, temperaturam ſcilicet & ætatem,anni tempus, regionem, anteactam victus rationem, & id genus alia, quæ diuerſos ſuccos multiplicare valent,accurate perpendere. Reliquæ autem differentiæ facile cognoſcuntur. Nam quantum ſpectat ad ſcabiem ſiccam,hanc triplicem ſtatuunt auctores: Vna eſt,à qua nihil emittitur: Secunda eſt,à qua modicum quid virulentę, tenuiſque humiditatis emanat: Tertia, ex qua modicum quid craſſioris ſordiciei, ac quaſi exiccatæ profluit. Humida pariter triplex ponitur. Vna,à qua ſanies laudabilis,vel ab ea non ita diſſimilis excernitur: Secunda à qua multa,eaque virulenta, & tenuis humiditas prodit: & iſta ſcabies virulenta dicitur: Et Tertia à qua emittitur multa humiditas craſſa,quæ ſordida nuncupatur. Cũ autem ſcabies ſicca à ſicco,& aduſto humore,vel melancholia fiat,hinc fit, quod eius pruritus eſt intentus, magis fixus,magiſq; perdurans, quam humidæ ſcabiei pruritus. Scabies autem humida nonnunquam fit cum cruſtis,& ſquamis, interdum ſine his. Magnæ autem & craſſæ ſquamæ à ſalſa fiunt pituita. Dum verò cruſtę paruę ſunt,& ſubtiles,vocatur hæc ſcabies à nonnullis ignis ſylueſtris. Cum autem omnis ſcabies ſquamoſa & cruſtuoſa ſit,ideo interdum vlcera ſolam cutis ſuperficiem inuadunt, quæ quidem apparent,ſi cruſtæ violenter amoueantur: Si verò dimittantur, donec ſponte decidant, vlcera poſt ipſas non remanent: nonnunquam verò vlcera adeo profunda ſunt, vt poſt qualemcunque ſquamarum ſeu cruſtarum amotionem, vlcera relinquantur. cruſtis autem illis perſiſtentibus,dum eæ digito premuntur,ab earum circuitu ſordes virulenta promanat: & à nonnullis abſolutè vocatur ſcabies vlceroſa. Quæ quidem duplex eſt: Vna quidem non depaſcens, altera quæ depaſcendo exulcerat, quam plurimi ex chirurgorum turba ambulatiuam uocant: & à multis dicitur lepra, non tamen vera atque legitima: ſed ita appellatur ab ipſis: quia inter omnes ſpecies ſcabiei contagioſiſſima eſt: Ab Auicenna verò fœda nuncupatur: quia vlceroſa euadit: propterea,quod humor melancholicus,à quo ortum ducit,propter ſui duritiem,diutius detinetur in loco: quem quidem exulcerat,& erodit propter acrimoniam, ſeu acutam qualitatem ex aduſtione ſuſceptam: Et ob id vocatur etiam ſcabies decorticata,quæ aliquãdo in impetiginẽ degenerat. Ab alijs verò malum mortuum nominatur,cuius materia eſt atrabilis,ſeu aduſta melancholia,aut ſola,aut cum pauca ſalſa pituita permixta: cuius vlcera ſunt nigra,fœtida,& vt plurimum ſine cruſtis,& ſine multo pruritu;praua tamen eſt,& difficilis curationis. Aliæ porro differentiæ ſcabiei,& partes ſeu loca ſubiecta,in quibus fit,ſenſibus ipſis expoſitæ ſunt. Cruſtoſa autem ſcabies vt plurimum in extremitatibus inferioribus,coxis.ſ.& tibijs cum pruritu exoritur, quia craſſus humor facilius ad inferiores partes deſcendit.nonnunquam tamen etiam in facie contingit. Scribit aũt Hip. Vere lepras,impetigines,vitiligines,& puſtulas vlceroſas plurimas (ſub quibus ſcabies compræhenditur) oriri:quia,vt Gal.ait,hoc tempore profundum corporis expurgatur, vitioſis humoribus ab ambientis caliditate tractis à partibus principalib. ad cutem peruenientibus. Scabies autem humida non vlceroſa,& etiam vlceroſa ſine excoriatione, etiam ſi quocunq; anni tempore contingat: attamen in vere præſertim multiplicatur: Sicca verò æſtate,& autumno. Scabies verò cum cutis exulceratione,vbi etiã impetigo,ex Auicennæ monitis, in autumno fieri ſolet: quia tunc aduſtus humor abundat,& in cute detinetur. Qua de cauſa eodem quoq; tempore ſcabies,quam malum mortuum Barbari vocant,fieri conſueuit. Ex ætatibus verò iuuenilis,& puerilis,ob errores in victu perpetratos,& prauos multoſque cibos ingeſtos,& multas,& inordinatas exercitationes omniũ maximè ſcabiei obnoxiæ ſunt. Sicuti verò quartanæ & aliæ febres ex aduſtis humoribus procreatæ,ſolent ſuperueniente ſcabie finiri: ita,hac retrocedente prædictas febres rurſus accendi,& recidiuas facere ſæpius vidimus. Iã verò in ſcabiei ſiccæ ſpeciebus illa deterior eſt,in qua nihil emittitur:deinde,in qua quaſi parũ craſſæ ſordiciei emanat: & vltimò,in qua parum quid virulentæ humiditatis exit. Sed inter ſpecies humidæ ſcabiei illa deterior eſt,in qua excorticatio fit:& poſt ipsã vlceroſa ſine excoriatione: Et poſt hãc ignis ſylueſtris vocatus: deinde ea, quæ ex ſalſa oritur pituita: poſt has deterior eſt ſordida, deinde virulenta: poſtremo minus mala eſt ſanioſa. Sed ſcabies in genere vitium eſt, quod ſui natura facile, & ſæpius ſola corporis purgatione curatur. Nam purgans medicamentum, præſertim peccanti ſucco accommodatum, huic contrarium, & a circumferentia ad centrum molitur motum.

Ex cauſis deſumpta ſigna.

Signa differentiarum.

Scabies virulenta.

Scabia ſordida.

Ignis Sylueſtris.

Scabies vlceroſa.

Prognoſtica.

Hip. & Gal. 3. aph. 20.

De Scabiei curatione. *Cap. IX.*



PRO methodica verò, tutaque scabiei curatione, eas indicationes,& scopos intueri oportet, quos tum in capite superiori de pruritu,tũ præsertim in pustularũ vniuersali curatione explanauimus. Quantũ spectat ad præsidiorũ materias, si de chirurgicis loquamur, Arabes scabiei curationem ab ipsa phlebotomia exordiendã esse decreuerunt, idq; non ab re,cũ ex eorum sententia quodlibet scabiei genus à sanguine ipso, seu,vt clarius loquamur,ab eo succorum aggregato, quod in venis ipsis continetur,& per adapertas venas egredi facile potest,originẽ ducat, & ex sanguinis missione,per se, totũ corpus inaniatur, ex accidenti vero iecur ipsum (quod vt plurimũ sui caliditate succos acres & salsos,qui scabiẽ creant,producit) refrigeret,& acres humores iã genitos attemperet. Veruntamẽ in hoc adhibendo prę sidio,ne laborantes non parum lædantur,accurate admodum progrediendũ est. & ante omnia,priusq̃ vena aperiatur,primæ viæ lenietib. in superiori capite de pruritu propositis,& præsertim syrupo rosaceo,aut violaceo solutiuo cũ electuario lenitiuo,erunt expurgandæ.in crassiori enim,& atrabilari, seu melancholica superfluitate,syrupus violatus solutiuus;in biliosa rosatus solutiuus,& vterq; ad vnc.iv.cũ vnc. j.vel drach.x.electuarij lenitiui,in potu,cum cichoraceorum vel boraginis decocto dissolutus poterit exhiberi. Et idẽ de flore cassiæ cum thamar indis,de electuario lenitiuo,diacatholicone,& alijs statuẽdũ:quæ in potu cum eisdem decoctis dissoluta aut ẽt in bolo offerri possunt:ita tamen,vt flos cassiæ,lenitiuum,diacatholicum vsq; ad vnc.j.s.Thamarindi verò ad drach.v.vel.vj.exhibeantur.quib. etiam ubi opus est & corpus robustum id ferat drach.j.s.vel etiam ij.electuar.de succo rosar.vel rosati Mesues addi poterũt. Primis ductibus expurgatis,vel propositis pharmacis, vel, vbi his propter vires vel ætatẽ,aut alia de causa vti nõ licet,aliquo cõuenienti clystere, perpendendũ erit,an vires robustæ & ualidæ sint,& ætas floreat,necne? Si enim vires valeant,& ętas permittat,scabiesq; alicuius momenti sit,à qua laborantes omnino se se explicare velint,procul omni dubio aperienda vena est propter causas iam propositas. Verũ ne error aliquis committatur,animaduertẽdum, quod vbi scabies sanguinea est,in qua prædominatur sanguis,aut corpus plethoricũ est,ẽt si cum subdominio cacochymiæ,& vitiosis humorib.coniunctus sanguis sit;attamen in maiori copia sanguis educi debet. Si verò corpus à prædominio cacochymum sit, cũ plethoræ subdominio,in minori copia erit detrahendus:quia cacochymia tutius,& expeditius pharmaco purgãte,q̃ venæ sectione corrigitur. Quod si sanguis paucus sit, & cacochymiã nullo pacto foueat,& scabies à synceris potius vitiosis proueniat humorib. optimum,tutumq; est in principio à venæ sectione abstinere:quia ẽt si tunc tẽporis vires constare videantur(quod tamen rarò cõtingit)nihilominus,vt ex Gal. colligimus ille status virium valde fallax,& labilis est. Et propterea melius est, purgantib. prius vti, & postea proba victus ratione, & optimi succi cibis cacochymiã ad probiorẽ succum,naturãq; reducere:& postea,si necessitas,& calor iecoris id exigat,sanguinẽ mittere. Quod si vniuersam corporis superficiem scabies humida iã inuaserit,eaq; crassa,ac sordida,aut virulẽta,& copiosissima sit,in venæ sectione admodũ cautè progredi oportet.etiamsi aliqua notha plenitudo scabiẽ fouere videatur,& vires,ętasq; venę sectionẽ admittant. Quemadmodũ enim in variolis ecthymatisq; dũ materia pro maiori parte ad extimã cutim propulsa est,à venæ sectione omnino abstinemus:quia præter id,quod motus,qui criticus quodammodo est,interturbatur(is enim propter ebullitionẽ perfectiuã,quam vocant,excitatur)periculũ quoq; est,ne materia extra venas expulsa,præsertim penes partẽ tenuiorẽ rursus remigret in venas,&ebullitionis corruptiuę causa sit:ita dũ scabiei materia pro maiori parte cutaneas partes inuasit,periculũ est, ne sanguinis missione exinanitis venis,ipsæ prauas superfluitates cutaneas partes occupantes,sub ipsisq; detentas, alimenti inopia rursus attrahant,& praui ichores in venas remeent. Nam etiamsi venæ sectio sanguinem à centro ad circumferentiam trahere videatur, nihilominus secundariò & ex accidenti à reliquis omnibus,quæ in corporis circumferentia sunt reuellit,& subinde à circumferentia ad centrum, propter causam allatam, & per successionem ad id, quod vacuatur, siue vi vacui, humores trahit. Idcirco dum sumus in casu iam proposito, & cogimur sanguinem mittere,& adsunt permittentia, ne

Indicationes.

Curatio.

Chirurgia.

Venæ sectio.

Euacuandi sanguinis quantitas.

Gal. lib. de cib. bon. & mal. cap. 1.

tia, ne vllum incommodum subsequatur, oportet imprimis tum in die, quo secatur vena, tum postera die laborantem in aere moderatè calido, si opus sit, arte parato, continere, & moderatè ante cibum exercere. Secundò non debemus post exhibitum leniens, & die immediatè sequenti venam aperire, sed per tres dies, post primas vias expurgatas, eam secare, & illorum trium dierum spacio, antequam scilicet venam aperiamus, ipsum laborantem optimi succi & facilimæ concoctionis & distributionis cibis & potionibus alere debemus, vt venæ exinanitæ habeant, quid à primis ductibus trahere possint. Tertiò vena adaperta sanguis inspiciendus erit, & si is probus, aut flauus, & rubicundus, tenuisq; sit, ilico supprimẽdus erit, & cornua potius, seu cucurbitulæ scarificatæ, quæ cutaneas partes mirum in modum euacuãt, cutaneis partibus, quas scabies magis obsidet, erunt admouendæ, in quibus incisiones potius superficiales erunt inurendæ, ut solus sanguis putridus in ipsis infarctus educatur: Sic enim scabies ilicò profligatur. Si verò sanguis exiens niger, crassus, & vitiosus appareat, oportet quarto loco obseruare, vt in parua potius quantitate, & iteratis vicibus educatur, propter virium inconstantiam, & propter cacochymię dominium, quod purgationem potius indicat, & vt euitemus propositum periculum, ne scil. praui succi, & præsertim ichorosi in venas remeent. Neq; nobis obstat instantia, quam afferunt de variolis: quia ijs extramissis vena non secatur ne motus ille sui natura criticus interturbetur. quò fit, vt in ipsis ijs medicamentis vtamur, quæ interiora viscera roborant, & ad cutem ipsam materiam variolarum propellere valeãt.

Quænã venã secari debeat. Est aũt in scabie iecoraria præsertim dextri brachij pertũdenda, ut iecoris caliditas acres, salsos, & melancholicos atrabilaresq; succos generans remittatur. Quod si scabies sicca, & subinde melancholica sit, & lien tumore, aut obstructione, aut calidiori intemperia laboret, operæ pretium est post apertam dextram iecorariam, postero die etiam sinistrã basilicam reserare, sed sanguinẽ vtraq; vice in minori copia euacuare. Simili modo melancholico, atrabilariq; sanguine redũdante, optimũ est, post sectam venã, in scabiosis affectibus, ẽt hæmorrhoidibus hirudines admouere, & in debita copia sanguinẽ educere. Nã sanguinis excretio per has uenas, vt nobis Hipp. & Gal. significarunt, in scabiosis leprosis, & alijs multis cutaneis affectibus summopere prodesse potest. Vbi verò propter vires, aut ætatem venã aperire non licet, cucurbitulæ pro totius corporis euacuatione, eæq; scarificatæ, dorso uel coxis sunt admouẽdæ. Quinimò ẽt postquam venæ sectione vsi fuerimus, optimum est, pro materiæ, quæ scabiei contentiua causa est, deriuatione, iisdem cucurbitulis, vel cornuis, iisq; numerosis, ac scarificatis in partibus scabie magis obsessis vti, scarificationibus tamen superficialibus adhibitis. Sed dum cucurbitulæ loco sectionis venæ pro totius corporis euacuatione admouentur, & crassior sanguis in venis redundat incisiones & maiores, & profundiores sunt efficiẽdæ. Similiter loco sectionis venę vbi ea vti nõ possumus, apertio hæmorrhoidarũ per hirudines in adultiorib. præsertim, & crassiore sanguine redundante, cõuenientissima est. Ex his itaq; colligere debemus, quod phlebotomia vt plurimũ in scabie maximè conuenit, quia ut plurimũ vt ex dictis patet, peccãs materia aut sanguinea est, aut sanguini pmista. Quod si alia materia à sanguine diuersa peccet, phlebotomia tãquã noxia omnino prætermissa purgantib. medicamentis curatio moliẽda est.

Medicamenta. Præparantia. Sed quia praui succi non possunt tutò, & commodè expurgari, nisi prius præparentur, idcirco, si de præparantibus syrupisq; sermo fiat, in acribus, & adustis humoribus maximè probatur syrupus tum de lupulis, & de fumaria, tum acetosus simplex, aquá endiuiæ, & scabiosæ; necnon syrupus magistralis, qui ℞ succorum endiuię, lactucæ, borraginis, buglossæ, fumariæ, & lupulorũ depuratorum ana vnc. iv. emulsionis seminũ communiũ, & semin. portulacæ lib. ij. misceatur ista emulsio cum succis prædictis, & bulliant in eis violæ, & rosæ, & epithymum, & pruna, & colentur, & in colatura adde & impone sacchari lib. ij. & syrupetur, acetoseturq; secundũ artem. Quod si cũ his adustis humorib. pituita salsa mista sit, prædictis succis scabiosę succus adijciatur. In materia pituitosa, & salsa ℞ radic. apij fœniculi, petroselini, polypodij, endiuiæ, buglossæ, ana vnc. ij. chamædrij, calaminthæ ana M. j. Decoquãtur in aqua atq; colentur, & colaturæ addantur succi scabiosæ, succi lapatij acuti, & succi fumariæ depuratorum ana vnc. iv. & fiat syrupus acetos. cum saccaro. In materia verò melãcholica etiam adusta, præter syrupum de pomis de boragine, & de buglosso, probatur huiusmodi: ℞ radicũ boraginis, buglossæ, polypodij, corticum radicis capparis, corticis mediani, myricæ ana vnc. ij. cuscutę, chamædrij, chamepithyos, scabiosæ ana M. j. folliculorũ senæ epithymi, rosarũ, violarũ ana drac. s. succi lapatij acuti vnc. vj. Bulliãt ĩ aqua, & fiat syrupus cum

cum saccaro. Probantur quoq; syrupi in superiori cap. de pruritu propositi. Quibus vel consimilib. materia præparata, & adæquata, expurganda erit. Vnde in acri, & biliosa, adustaq; materia probatur diaprunis, diasena, elect. de succo rosarũ: succus fumariæ depuratus, myrobalani citrini, rhabarb. & id genus alia. Aut dissoluatur medulla cassiæ fistulæ in decoctione thamarindorũ, prunorum, violarum, florum fumi terræ recentis, additis mirobalanis citrinis, & saccaro. Vel eadẽ medulla cassię fistulæ in decoctione thamarindorũ, prunorum, violarum, florũ fumiterræ, folliculorũ senæ, & epithymi, dissoluatur, & addito elect. de succo rosarum ad drach. ij. in mediocri corpore, atq; virtute, in potu exhibeatur. In salsa autem pituita maxime probatur diaphęnicon, & diacatholicon, quæ tum in bolo, tum in potu cũ aqua scabiosæ, & fumariæ possunt exhiberi: ita tamen vt diacathol. ab octo drach. vsque ad xij. diaphœnicon à drach. iv. vsque ad vj. offeratur. In melancholica demum, atrabilariq; materia laudatur hiera Rufi, diacatholicon, diasena, & præsertim pilulæ de fumoterræ, quæ quidẽ in omni specie scabiei, & pruritus conuenientissimę sunt: Quẽadmodũ admirabilis quoque est confectio ipsa Hamech, quia quamplurima ingredientia recipit, quæ tũ acres, tum salsos, tum adustos, & atrabilares succos electiuè educunt. Ad idẽ valet Auic. testimonio, decoctio epithymi, myrobalanorũ citrinorum, fumariæ, senæ, polypodij, & absynthij: quo fit, vt syrupus de polypodio, & de epithymo maximè probentur. Vbi verò his purgantibus, & præparãtibus, prout res exigit, repetitis, malũ non cedit, in quibus vnà cum congrua diæta vniuersa ferè curatio, vel maior ipsius pars posita est, tunc euacuationibus dimissis, ad alterantia, & contẽperantia confugiendum. Ob id Arabes in potu manè & serò ptisanam triticeã cum saccharo, & aqua plurima, exhibendam esse voluerunt. Sed debet diurissimè & optimè coqui, quia triticũ, vt ait Gal. difficilis admodũ in vẽtriculo cõcoctionis est, & flatuosus, ęgreq; admodũ distribuitur, si quis elixo eo vtatur. Ideo tutior est ptisana hordeacea colata. Similiter conueniũt alia refrigerantia & humectãtia, quę in superiori ca. suere descripta: & præsertim serũ lactis caprini cũ succo cichorei: & alia, quæ in guttæ rubeę curatione tradita sunt: Probantur etiã ea, quæ exsiccãdi, & discutiẽdi vim habent, citra calfactionẽ insignem, vel in actiuis sunt tẽperata, veluti sunt præsertim salsa parilia, quæ, ne lædatur vẽtriculus, potest in decoctione cũ subdupla chinæ radicis portione præberi. Auic. vt corruptas humiditates exsiccaret, & alios succos à corruptione preseruaret, trifera minori, & similib. confectionibus exsiccãtibus vtebatur. Quidam tradunt scabiosam crudã comestam corpus à scabie purgare, & vitiosis succis. Succum aũt lapathij bibitum salsam pituitã expurgare: succum verò foliorũ pentaphylli calidum ebibitum sanguinẽ à biliosis, & adustis superfluitatib. mundare: cuius dosis est ab vnc. iv. vsq; ad vj. Alij aiunt succũ fumariæ crudum bibitũ corpus à scabie, à pustulis, putredine, & adusta bile purgatũ reddere. His autem non conferentibus, ad localia confugiendũ, quę & discutiendi, & exsiccandi, & contemperandi & emolliendi, & cutis meatus tũ detergendi, tũ aperiendi vim habent, & extrinsecus administrantur. Hæc. n. ita adhibenda sunt, vt, quantum fieri potest, caueamus, ne materia scabiei causa ad interiora & nobilia mẽbra deducatur, & laborantes intereant. Quare potius ad extra materiã trahere debemus, & post exactũ corporis expurgationẽ, euacuationemq; admoueri debent. Horum autem duæ potissimũ sunt formæ. Vel. n. balnea sunt, vel vnguẽta, seu linimenta. Balnea vel naturalia sunt, vel artificialia. In naturaliũ numero ea probantur, quorũ in vniuersali pustulatũ curatione meminimus. sed præsertim balneũ Dominarũ, Aponitanũ, montis Orthoni, D. Petri, necnon balneũ de Porrecta: quibus omnib. adhuc præstantius est balneũ Volaterranũ, quod S. Michaelis nominant. Non improbãtur quoq; aquę marinæ, & salsæ, sulphureæ, & aluminosæ. Sed dũ aquis thermalib. vtimur, optimũ est interponere singula quarta, aut quinta die vsum lauacri ex aqua dulci, moderatè calida parati, quod quidẽ per seipsum, vti superius diximus, ad scabiẽ præsertim siccam superandam peroptimum est. Nam cutis meatus laxat, & aperit, & materiam contemperat, emollit, ac digerit. Fiunt quoque balnea artificialia, & à nonnullis aqua decoctionis cucumeris asinini, præsertim in scabie à salsa pituita orta; Ab alijs aqua decoctionis lapatij, & chelidonij parantur; Alij in aqua decoquunt lupulos, aut ciceres, aut calamintham, aut scabiosam, aut prassium, aut origanum. In acri verò & adusta materia acetosam, blitumq; decoquunt. Sed hyoscyami tum decoctio, tum euaporatio, seu suffumigiũ ex decoctione susceptũ mirificè probatur. Ad omnes pariter scabiei species balneum extollunt ex decoctione fumiterræ, scabiosæ, & sulphuris paratũ. Quidam aũt tradunt lotionẽ factam cũ decoct. caricarũ, foliorum

ficus,

Purgantia.

Alterantia.

Galen. 1. de alim. facult. c. 7.

Topica.

Balnea.

ficus, & radicum chamęleontis nigri omnem ſcabiem etiam brutorum ſanare. Nonnulli probant lotionem factam cum aceto decoctionis cardamomi. Ablutio autem frequens cum aqua decoctionis radicum pentaphylli vlceroſam ſcabiem ſanat. Quæ autem à ſalſa oritur pituita, ſanatur balneo aquæ decoctionis ſulphuris viui, & aluminis rocchæ. Linimenta verò & vnguenta multiplicis ſunt generis ac vſus. Nam quædam ſolis corporis artuumque extremitatibus admouentur, nonnulla locis ſcabie obſeſſis. Quæ extremitatibus admouentur, hæc potius à proprietate quadam, aut alia qualitate, ſiue ſubſtantia tenuiſſimarum partium, & facile euaporabili ſcabiem fugant, & talia ſunt, quæ ex hydrargyro vel ſulphure componuntur. Quæ quidem vel volis manuum, ac plantis pedum, vel pulſibus, viciniſq; partibus adhibentur. Volis manuum, & plantis pedum applicatur hoc vnguentum, quod ſcabiei materiã per vrinam purgare ſolet: Rec. axung. ſuillæ vnc.v. olei laurini, argenti viui, ceræ mundæ, thuris albi pulueriзati, maſtiches ana vnc.ij. ſalis communis, ſucci fumiterræ, ſucci plantaginis ana quantum vis: conficiantur ſimul, cera, & axungia noua membranulis expurgata, & oleum laurinum in ſtanneo vaſe cũ ſuccis imponatur, & bulliant, donec liqueſcant: & tunc adde pulucrem ſalis communis, olibani, & maſtiches, & bulliant vſque ad perfectam decoctionem: poſtea deponatur ab igne, & adde argentum viuum ſaliua extinctum, & parum olei prædicti, & miſce diligenter cum ſpatula. Huius autem pharmaci vſus eſt, vt ſumatur ad quantitatem vnius auellanæ pro volis manuum, & tantundem pro plantis pedum, tamdiuque partes hæ fricentur, donec totum ingrediatur, & in illis imbibatur. Pro pulſibus verò brachiorum, & partibus circa ipſos per palmum vnum inungendis, poſteaquã brachia in aqua calida, aut ſupra ipſius uaporem ſteterint, vt ſcilicet pori aperiantur, probatur hoc vnguentum. Rec. olei laurini vnc.viij. argenti viui ſaliua extincti vnc.vj. aloes hepaticæ vnc.iij. ceruſſæ vnc.ij. cumini drach.ij. fiat ex ijs vnguentum. Mulieres verò vtuntur ſulphure tenuiſſimè pulueriзato, pauco oleo, vel, ne ita fœtidum fiat medicamentum, butyro & pauco ſale excepto. In illorum autem numero, quibus loca omnia ſcabie detenta inungi poſſunt, tanquam proficuum probatur iſtud. Rec. radices enulæ, quam helenium vocant, necnon radices cicutæ, & tere aliquantulũ, & fac eas bullire in aqua cum axungia ſuilla, & aliquantulo ſalis, deinde cum hac aqua lauentur loca ſcabioſa, & cum radicibus ipſis fricanda. Probantur etiam radices helenij ſolæ cum axungia veteri mixtæ, aut cum oleo nucum, vel cum axungia, & nucibus tritis: quia ſub his neque turpe ſcabiei relinquetur veſtigium. Idem dicendum de ſolis radicibus in aqua probè coctis, & cum axungia veteri mixtis. Farina quoque lupinorum miſta cum radicibus chamæleontis nigri ſcabiem difficilem etiam in brutis curat, ſi, poſt lotionem cum decoctione lupinorum factam, ſuperponatur. Sicuti enim quæ intus meatus purgant, ait Galenus, debent eſſe tum nitroſa, tum amara: ita ad cutis ſordes detergendas non ſolum hæc, ſed viribus mitiora auferre poſſunt, qualia ſunt dulcia, ſed tenuium partium vt mel, necnõ ex cerealibus ſeminibus eruum, fabæ, hordeum, lupini. In ſcabie autem ſicca, & humidis corporibus, & pueris, præter illa, quæ detergunt, ac digerunt, qualia ſunt iam dicta, necnon amygdalæ amaræ, ſal nitrum, & ſimilia, oportet etiam miſcere, quæ humectandi, & emolliendi vim habent. Ideo probatur hoc: Recip. oleum commune, & therebinthinam lotam, & cum modico ſalis triti ſimul agitentur, donec optimè miſceantur, & dealbentur. Quod ſi argentum viuum ſaliua extinctum eis addatur, valet etiam in adultis corporibus. Aliud: Recip. olei roſati, butyri ana vnc.j. ſucci fumiterræ, ſucci plantaginis, ſucci ebuli, vel ſambuci ana vnc. ſem. bulliant aliquantulum, & poſtea adde terebinthin. lotam, & parum ſulphuris viui. Aliud: Fac bullire ſuccum lapatij, & fumiterræ cum axungia, & butyro, & inunge. Pariter in pueris, & quibus nulla præceſſit corporis purgatio propter ætatem non conſentientem, tutiſſimum, & optimum eſt hoc vnguentum: Recip. olei roſat. vnc. iiij. ſalis communis drach.j.ſ. butyri recentis loti vnc. vnam, omnia ſimul bene miſceantur, & in mortario diu ducantur, vt fiat unguentum mollę. In pueris quoque & ſequenti ætate, etiam ante purgationem expertum eſt hoc, ſi eo quotidie laborantes inungantur, dum eunt dormitum, prope ignem ſarmentorum, & omnia loca ſcabie affecta, vel totum corpus inungi debet. Recip. Therebinthinæ lotę cum aqua roſata vnc.iiij. ſucci limonis vnc.j.ſ. butyri recentis loti vnc.j. Vitellũ oui numero j. ſalis communis drach.ij. olei roſac. vnc.ij. miſce, & omnia diu in mortario agitentur, donec fiat vnguentum. Poſt totius autem corporis euacuationem,

Linimenta, & vnguenta.

Pro volis manuum, & plãtis pedum inungendis.

Pro pulſibus inungẽdis.

Pro locis affectis omnibus inungẽdis.

Gal. 5. ſimp. 12.

In ſcabie ſicca, & puerili corpore.

In ſcabie plurimum craſſa, in adultis.

& purgationem, in ſcabie plurimum craſſa optimum eſt, quod Rec. ſucci lapatij acuti, ſucci fumiterræ, ſucci plantaginis ana vnc.j.lithargyrij argentei vnc.iiij.terebinthinæ lotæ cum aqua roſa.vnc.ij.ceruſſæ ablutæ vnc.j. butyri recent.loti vnc.j.s. ſucci limonis vnc.ij.vitellorum ouorum num.ij.ſalis communis vnc.ſemis,olei roſati vnc.j.s.miſce, omniaque ſimul in mortario plumbeo agitentur, donec fiat vnguentum. Scabiei verò adultorum, necnon pruritui, & pediculis maximè confert, quod Rec. Thuris vnc.s.ſalis drach.ij.plumbi vſti drach.iij. argenti viui ſaliua extincti drach.j.fiat vnguentum cum axungia ſuilla. Ad ſcabiem verò ualde acrem & calidam,& ignem ſyluestrem, quia attemperantia ualidiora ſunt miſcenda, prodeſt hoc: Recip.olei violati, butyri lotorum ana vnc.j. argenti viui ſaliua extincti drac.j.ſucci plantaginis ,ſucci acetoſæ acutæ ana vnc.ij. lithargyrij altificati drac.ij. fiat vnguentum. Ad ſalſam pituitam valde confert ſcabioſa trita cum axungia veteri multa. Si verò ſcabies ex ſalſa pituita vlceroſa ſit,& cruſtis obducta, quia magis ſiccantia conueniunt,ideo Rec.calcis pluries lotæ, & poſtea ſiccatæ, & tenuiſſimæ pulu erizatæ vnc.iij.miſceatur cum ſucco caulis, deinde ſuperimponatur oleũ roſaceum liquatum cum modica cera,& ad formam vnguenti redigatur. Ad idem Rec.lithargyr.aureum tenuiſſimè pulu erizatum, & pone in mortario,& adde acetum acerrimum,& oleum,& diu agitando incorpora, & in fine adde modicum vini, & poſtea adde puluerem plumbi vſti,& fuliginis eius. Ad eandem ſcabiem cruſtoſam,& vlceroſam ex ſalſa pituita præſertim coxarum,& crurum,& aliarum partium: Rec.olei chamæmelini, vel nucum vnc.iiij.ſulphuris viui vnc.j. ceræ vnc.ij. liquefacta cera cum oleo deponatur ab igne, & ſuperaddatur accuratè miſcendo pulu.ſulphuris, poſtea vnc.s.argenti viui ſaliua extincti, & parum aceti adijciatur. Si verò eadem vlceroſa ſcabies ſit cum acrimonia, & caliditate. Recip.olei roſati vnc.iiij.ceræ vnc.ij.liquefiant,& lauentur,& poſtea miſceatur cum ijs puluis ceruſſæ,& ſulphuris,& in fine argentum viuum extinctum, & vltimò duo ouorum albumina,& aceti parũ miſceatur. Si verò eadem vlceroſa ſcabies fiat ab aduſta melancholia, Rec.farin.hordei,& miſce diligentiſſimè cum melle,& vino rubeo Pontico, & puluere myrrhæ, & in fine addantur vitelli ouorum crudi, & fiat vnguentum,quod admoueatur poſt ablutionem loci cum aceto, vel vino, in quibus myrrha,aloes,equiſetum,& thus ſint incocta. In ea verò ſcabiei vlceroſæ ſpecie,quam malum mortuum appellant,valet fricatio loci facta in balneo,quatuor diebus,quolibet die ſemel,cum puluere hoc: Rec.ſulphuris,baccarum lauri ana vnc.vj.ſtaphiſagriæ vnc.iij. & inungatur locus quatuor diebus,quolibet die ſemel cum hoc vnguento. Rec.axungiæ ſuillæ,olei laurini ana vnc.vj.lithargyrij, & pulueris eius vſti ana vnc.ij.agryppæ vnc.j.argenti viui extincti vnc.ſemis.Quod ſi poſt inunctionem mox bene cooperiantur in lecto cum pannis, & ſudent, effluent per hos humores variorum colorum, & curabuntur. Cur autem argentum viuum præſertim per os expurget craſſa, & viſcida excrementa, in ſermone de Gallico morbo declarauimus. Alij decoquunt in oleo communi radices lapatij acuti,& ſcabioſæ,donec radices virtutum in oleum deponant: deinde iubent,ut coletur oleum, in eoque addatur puluis lithargyri, & ſtaphiſagriæ, & iterum decoquatur vſque ad vnguenti ſpiſſitudinem. Confert quoque radix lapathij acuti bene lota,& abiecto meditullio bene contrita, cum axungia, & ſale permixta. Ad ſcabiem autem tum humidam,tum ſiccam, Rec.radicem helenij tenellam,atque probe mundatam decoque in aqua,& deinde in modum unguenti conteratur, & poſtea confice eam cũ axungia ſuilla ſalita, mox adde modicum argenti viui extincti, & modicum chalcanthi, & optimè ſimul miſceantur. Alij verò his addunt modicum croci, vt medicamen optimum colorem acquirat. mirabiliter enim corpus à ſcabie curat. Cuicunque verò ſcabiei generi confert hoc vnguentum: Rec. radices lapathij acuti, & uolue cum ſtupis canabinis aceto madidis,& ſub cineribus calidis pone,& dimitte,donec ſint bene coctæ,deinde extrahe, earumque cortices bene rade: & cum axungia vetuſtiſſima terendo permiſce; poſtea ſuperadde tertiam partem ſulphuris, & fuliginis,quæ adhæret camino,necnon aliquantulum argenti viui ſaliua extincti,& optimè terendo miſce. Similiter in omni ſcabiei genere optima ſunt duo vnguenta inſraſcripta;quibus laborantes prope ignẽ ſero,dũ eunt cubitum,loca ſcabie affecta, alternis ſolũ diebus,inungere debent:Quorum vnũ ℞.olei communis vnc.iiij.terebin.vnc.j.ceruſſæ aluminis ana drach.x.argenti ſublimati drach.ij.ceræ drac.iij. aceti parũ:m.& f.vnguentũ. Aliud ℞.terebint.lotæ vnc.ij.ceruſſæ vn.j.olei roſ.vnc.ij.s. olei laurini vnc.s. ſalis drach.iij. ſucci lapatij acuti vnc.j. elleb. albi drach.j. s. aceti drach.iij.

In ſcabie biliosa, & igne ſyluestri.

Ad ſalſam pituitam.

Ad ſcabiẽ vlceroſam, & cruſtoſã ex ſalſa pituita.

Ad vlceroſam ſcabiẽ ex acri, & aduſto ſucco.

Ad ſcab. vlceroſam ex aduſta melanch.

Ad malum mortuũ uocatum.

Ad ſcabiẽ humidam, & ſiccam.

Ad omne genus ſcabiei.

drach. iij. bulliant simul, donec inspissentur, & fiat vnguentum molle. In vnguentis tamen conficiendis aduertendum, vt argentum viuum, quantum fieri potest, euitetur, & solum in scabie pertinaci vsurpetur. In his verò qui vnguenta abhorrent, aqua infrascripta vti possumus. Recipe aq. destillationis lapatij acuti lib. j. succi plantag. vnc. iv. aquæ rosf. vnc. iij. succi limon. vnc. ij. lithargyrij vnc. vj. cerussæ vnc. j. sublimati vnc. j. s. salis communis vnc. s. sulph. viui drach. iij. Omnia puluerizanda tenuissimè puluerizentur, & cum aquis misceantur, & maneant in infusione per diem naturalem: postea ponantur omnia in elambico, & lento igne aqua destilletur, quę nedum confert in scabie, sed etiam valet ad delendas crustas morbi Gallici, & earum vestigia. Vt autem Galenus testatur, radix vitis albæ foris cum ficubus imposita psoram, & lepram sanat. Ex eiusdem decretis elleborus vterque extergentis est, & excalfacientis facultatis: & ob id ad alphos, lichenas, psoras, leprasq; accommodi sunt. Et idem tradit Cardamomum cum aceto valenter psoram detergere. Testa verò sepiarum vsta idem Galen. ad vitiligines, ephelin, lentes, & psoras vtebatur: abstergit enim siccat, & tenuiũ est partium. Psoras autem tollit citra exulcerationem, vt idem tradit, malagma, quod ℞. ceræ, picis liquidæ ana lib. j. picis aridæ libr. j. sulphuris viui, aluminis scissi, nitri rubri ana lib. semis: Liquescibilia liquefacito; arida verò tundito, & per angustissimum cribrum concernito, & ad liquefacta adijcito, paulatim ea inspergendo, & assidue mouendo, indeque in pilam translata, ac tusa reponito, & vtitor. In fœda verò, seu crassa, & crustosa scabie faciem deturpante, ipsa illinatur ex radice helenij, & radice iridis dissolutis, ac mistis cum oui albumine, & dimittatur linimentum in facie ad plures horas: quo deinde sublato, statim suffiatur facies cum aqua decoctionis palearum hordei, vel siliginis, facie vndique cooperta, diuque inclinata super vaporem eius, quantum tolerare poterit: & vbi expedit, mutetur aqua alia similiter decocta: aut extinguatur lapis ignitus in prima decoctione, vt diutius eius euaporatio perseueret. Cum autem diu bene sudauerit facies, abstergatur cum panno lineo, quia omnes crustæ decident: & postea curetur cum vnguento facto ex radice lilij. Vbi verò lichenes faciem deturpant, conuenit hoc vnguentum. Recipe radicem helenij, & coque sub cinere, deinde teratur cum axungia vetustissima, & addita cera, & sale, coque, donec acquirat formam vnguenti, quo facies sero, & mane inungatur, & lauetur cum aqua decoctionis maluarum, & cardui benedicti. Victus autem ratio in quacunque scabie eadem prorsus esse debet, quam in superiori tractatu pruritus seruandam esse diximus, quæ quidem huc referenda est. Nec illud circa victus rationem prætereundum, quod sicuti ex Galeni monitis, illotos & sordidos, & qui cruditate laborant, & qui nutrimentis mali succi comedunt, hos pruritus exercet: ita eosdem & scabies exercere potest.

[Margin: Aqua destillata ad idẽ. — Gal. 6. simp. ferm. prop. — Gal. loco cit. — Gal. 6. simp. — Gal. u. simp. — Galen. 10. de med. loc. c. 2. — Ad scabiem fœdã faciei. — Victus ratio. — Galen. 2. de symp. caus. cap. 7.]

De Pustulis capitis, ac de Achoribus, Fauis, Psydracijs, Helcydrijs, Ficubus, seu Sycosis, & alijs pustulis humidis, quæ in capitis cute proueniunt. Cap. X.



SCABIEI species seu differentiæ, quæ præsertim ab affectis membris desumptæ, varia tum nomina, tum aliqua ex parte curationem diuersam, vt & Gal. & alijs colligere licet, sortitæ fuere, sunt Achores, Faui, Psydracia, Helcydria, Ficus, seu Sycosis, Tinea, & id genus alia, quæ in capite generari solent. De ijs igitur omnibus acturi, in præsenti capite de Achoribus, Fauis, Psydracijs, Helcydrijs, Ficubus, & similibus affectibus, seu pustulis, quæ in ipso capite subortæ humidæ sunt; in sequenti verò de siccis eiusdem capitis pustulis, & proinde de tinea tandem agemus. Inter affectiones itaque cutis capitis, inquit Gal. connumeratur quoque ea, quæ achor appellatur, ex genere paruorum tumorum præter naturam, seu potius pustularũ existens. Propriam autem, & singularem appellationem nacta, ob accessionum, quæ ad eam consequuntur, proprietatem. Valde enim tenuibus foraminibus eroditur, quæ tenuem in se humorem modicè viscosum complectuntur: & ob id, quod Græcis est Achor, vlcus manans ab alijs dicitur. Ad similitudinem verò eius proximè accedit alia cutis affectio, quæ Fauus, Græcis Cerion vocatur, maiora tantum foramina habens,

[Margin: Achorũ natura, & causæ, & item Fauorum. — Galen. 1. de comp. loc. 8.]

habens, in quibus humor melli, quod est in fauis, similis continetur. Generatio ipsis ex humore misto est, qui partim tenuem, serosumque, ac mordacem, partim verò crassum succum in se habet. Tenuis itaque humor, vtpote mordax, primum quidem ad scalpendum ipsos impellit, progressu verò temporis ad scalpturam tum humor augescit, tum foramina in ipso erumpunt. Hæc de Achoribus, Fauisque Galenus. Ex cuius dictis occasionem nactus aliquis fortasse nobis molestus erit, inquiens, hæc vitia perperam in pustularum numero, & inter scabiei genera fuisse connumerata. Nam Gal. in descripta auctoritate ex genere tumorum præter naturam dixit. Et idem in proprio de Tumoribus præter natur. libello hæc eadem mala in cap. quintodecimo proposuit. Huius tamen importunitati facilimum est satisfacere. Nam Galen. per tumorem præter naturam non accipit tumorem proprie dictum, morborum scilicet & ratione ipsius auctæ magnitudinis operationes lædentem, sed impropriè seu etiam communiter vocatum tumorem, qui quidem si adeo paruus sit, ut ratione molis actiones non lædat, ab eodem Galen. lib. de diff. morb. cap. 12. symptoma vocatur. Hinc Galen. in proprio de tumor. lib. achorem definiens ipsum non tumorem, sed paruum in capitis cute vlcus esse dixit: Et paulo post Achores, & fauos non tumores appellauit, sed cum tumore quodam esse pronunciauit. Hac de causa in cap. 13. eiusdem libri ad eundem paruum, non tamen morbosum tumorem, seu ad paruam aliquam extuberantiam respiciens, etiam scabiem ipsam, & lepram recensere in eo libro non est veritus. Cum itaque uitia iam proposita paruam aliquam extuberantiam, & eam exulceratam habeant, iure merito ipsa sub vlceratis pustulis, & scabie reposuimus. Nam & magnus Auenzoar in primo tract. sui primi libri de genere pustularum hæc vitia esse voluit: sub quibus & scabies ipsa continetur. Ex quibus clarè etiam patet hæc scabiei genera ab ea simplici scabie capitis, quæ summam duntaxat cutem obsidet, longè distare. Hinc autem Cerion & Achor dignoscuntur, quod euulsi capilli radix crassa imprimis est, lento, crassoque humore obsita. Horum igitur causa est nitrosa, salsaque pituita, aut melancholia sub cute malignè putrescens: quæ quoniam capillorum radici multa inhœrescit, & capitis, quam ceterarum partium, cutis densior est, ex ea detergeri, aut elui tota vix potest. Quocirca vlcus ægrè sanescit, atque ex humoris pernicie imprimis contagiosum pueris existit. Quo pacto autem hæ duæ affectiones inuicem dissideant, declarat Trallianus, inquiens, quod Achorum foramina non apparent visui; fauorum verò foramina conspiciuntur. in achoribus enim foramina sunt minora; in fauis maiora. Alij uoluerunt in achoribus vnicum foramen, seu vnicam cauernam reperiri, & ab ea aquosum humorem emanare; in fauis uerò plures esse cauernas, à quibus humor crassior effluit. Omnes tamen in hoc concordant, quod humor à fauis emanans consistentia melli similis est. Quò fit, vt Celsus has ambas affectiones Melicerias vocauerit. *Cels. lib. 5. cap. 28.* Sicuti autem immediatæ, contentiuæque causæ harum affectionum, necnon antecedentes ex dictis apertæ sunt: ita inter causas remotiores praua imprimis alimenta, quæ succos iam dictos creare valent, & ab his vitiosum aerem (vnde hybernum anni tempus, & nonnullæ regiones vitia hæc plurimum multiplicant) & contagium ipsum, quo nonnunquam nutrices à pueris, quos lactant, inficiuntur, recensere possumus. *Causæ remotiores.* Hi verò affectus ex eorum natura & descriptione tradita facile cognoscuntur. *Signa.* Hinc verò Cerion, & Achor dignoscuntur, quod euulsi capilli radix crassa imprimis est, lento, crassoque humore obsita: hoc enim signo ab ea simplici scabiei specie distant, quæ summam tantum cutem obsidet: In fauis autem tanquam peculiare signum, circa vlcera, quædam veluti squamæ sæpius apparent. Ex pustularum autem colore, ægri temperatura, ætate, victus ratione prægressa, & id genus alijs tumor pustulas has generans dignosci potest. Quinimò ex ægrotantis gustu, ac tactu idem distinguitur. Exempli gratia, si laborans salsedinem in ore percipiat, pituitæ salsæ; Sin aciditatem, melancholiæ dominium significatur. Similiter si vlcera calidiuscula percipiantur, acres, & calidiores succos; sin frigida, pituitosos, & melancholicos abundare indicium erit. Sicuti verò adulti, viri scilicet & mulieres acrius, & molestius ab his vitijs infestantur: *Prognostica.* ita pueri his malis omnium maximè sunt obnoxij: tum quia à sui ortus primordijs, & in utero matris multis replentur excrementis, quæ quidem natura ipsa, statim ac in lucem editi sunt, expurgare nititur, & potissimum per caput ipsum, quia est omnium partium humidissimum, ac pituitosis, alijsque excrementis refertum; tum ratione lactis nutricis,

nam

nam nutrices ob voracitatem prauis sæpe esculentis vescuntur, nullumque in alimentis delectum seruant. Vnde lac earum prauis succis inquinatum eandem prauitatem puerulis communicat. Cur autem hæc mala sanatu sæpius difficilia sint, & ægrè sanescant, superius declarauimus. Nam & propter capillos, quorum radici humor adhæret, & propter salsam pituitam, & melancholiam sub cute malignè putrescentem, & quia capitis cutis densior est, malum vix elui, detergeri ac discuti potest: Præsertim verò in pueris, qui medicamenta non admittunt, & conuenientem victus rationem vix obseruant, curationis difficultas intenditur. Vnde vitia hæc vt plurimum in capillorum defluuium modo mitius, modo deterius, prout materia minus, vel magis praua est: & subinde nonnunquam in Alopeciam; interdum in Ophiasim, aut Tineam migrare solet. Et vbi malum ferocius est, & intensionem suscipit, protrahiturve, in exulcerationem vsque ad carnem, & ossa pertingentem abire solent. Scribebat autem Hippocrates, quod pueris, si fiant vlcera in capite, vel circa aures, vel in facie, vel in reliquo corpore, ab epileptico morbo liberantur. Quod ab ipso quoque Auicenna susceptum, & confirmatum est. Psydracia verò apud Paulum, & Alex. exigua quædā cutis capitis vlcuscula sunt, iis similia, quę cutim exardere solet. Vnde alij dixerūt esse pustulas, seu igneas efflorescentias spōtè vlceratas in cute capitis obortas. Celsus verò paulò duriores pustulas, subalbidas, & acutas esse voluit, ex quibus, quod exprimitur, humidū est. Helcydria verò, vt Aetius definit, paruæ pustulæ sunt, cum paruis quibusdam vlcusculis densis, ac rubris in cute capitis apparentibus, papillis mamillarum similibus, à quibus ichor defluit. Horum omnium meminisse visus est Celsus, dum dixit, quod ex pustulis nonnunquam etiam & vlcuscula sunt arida, aut humida, & modo cum prurigine solum, nonnunquam cum inflammatione, & dolore, exitq; aut pus, aut sanies, aut vtrunq;. Hi omnes affectus ab vna, & eadem fere causa proficiscuntur, à sanguine scilicet pituitoso in capite ipso efferuescente. Ficus, vt Paulo visum est, sunt eruptiones quædam vlcerosæ, rotundæ, subduræ, rubentes, quas dolor nonnunquam comitatur, quæ magna ex parte in capite, sed nonnunquam etiam in alijs partibus oriri consueuerunt. Celsus verò exactius hoc malum describens, inquit esse pustulam, & vlcus quoddam à fici similitudine ita nuncupatum, in quo caro excrescit. Eius verò esse duas species inquit, in quarum vna vlcus durum est, & rotundum, à quo exiguum quid, & glutinosum emanat: in altera vlcus humidum, & inæquale, à quo plus humoris graueolentis excernitur. Vtrumque verò fieri inquit in ijs partibus capitis, quæ pilis teguntur: sed in barba id præsertim oritur, quod durum, callosum, glutinosumque est: sub capillis id, quod est humidum. Harum omnium materia, & contentiua causa est crassus humor alicuius acrimoniæ, seu mordacitatis non expers, de genere pituitæ, vel melancholiæ, vel potissimum vtriusque, cui tamen mixta est pars tenuis, & ichorosa, vel serosa. Hæc enim tenuis pars cum includitur, & infarcitur, nec facile perspirare potest, incalescens solet aliquam sibi acredinem comparare, quæ mox abradendo cutem exulcerat. Horum omnium affectuum cognitio ex eorum tradita descriptione clara est. Præsagia verò ex dictis de achoribus, & fauis facillimè colligi ab vnoquoque possunt. At de achorum, fauorumque ablatione sermonem habens Gal. Manifestum igitur est, inquit, euacuare oportere humores affectionem ipsam operantes: Quin, si etiam influant amplius, prohibendus est primum ipsorum influxus per capitis euacuationem, atque totius corporis purgationem, veluti in alopecijs dicemus. Si verò parua affectio existat sola localia, & partialia appellata remedia citra totius corporis euacuationem suffecerint. Conuenient autem ipsis, ob crassitudinem videlicet, & viscositatem humoris eam generantis, pharmaca, quæ ipsum incidant, quæque facultate sua necessariò discutiant, & repellant. Quare, vbi totius corporis euacuatione, purgationeque opus sit, ætasque tum hanc tum illam permittat, si vnà cum succorum vitio & cacochymia aliqua plenitudo, alioquin notha præstò sit, quæ malum foueat, post alui lenitionem cum clysterijs, aut lenientibus in superiori capite propositis, & præsertim cum syrupo rosato solutiuo, aut manna, & melle rosato solutiuo: accipiendo, exempli causa, mannæ electæ, & mellis rosati solut. ana vnc. ij. s. & cum decocto cichorij, & betonicæ potionem parando, expedit non solum cephalicam ipsam; aut, si tum caput, tum totum corpus affectu scabioso teneatur, communem venam dextri brachij, aut sinistri, prout dextra vel sinistra pars magis affecta erit, aperire; verum etiam venam ipsius frontis deinde secare, vt scilicet post totius corporis euacuationem caput ipsum particulariter euacuetur. Quod

si virtus,

Margin notes (left): Psydracia, & Helcydria quid sint, eorūq; causæ. — Ficuum natura, & causæ. — Signa, & Prognostica. — Indicationes. — Curatio. Chirurgia.

Margin notes (right): *Hipp. lib. de sacro morbo.* — *Auic. prima tertij. cap. de Epileps.* — *Celsus lib. 6.* — *Galen. 1. de comp. loc. 8. in princ.*

si virtus, vel ætas venæ sectionem non ferat, primo cucurbitulæ scarificatæ aut lumbis, aut coxis affigendæ, aut hirudines hæmorrhoidib. admouendæ pro totius corporis euacuatione, & reuulsione à capite, mox scarificatæ cucurbitulæ scapulis àpplicandæ, vt materia in capite existens vnà reuellatur, & deriuetur. Quod si vel menses, vel hæmorrhoides fuerint suppressæ, vnicuique ex toties dictis patere potest, has euacuationes, venarum tali sectione, & venis sedis hirudinibus adhibitis, esse reuocandas. Inter præsidia chirurgica probantur quoque frictiones non modo infernarum partium, & ipsius dorsi, vt scilicet materia ad infernas partes reuellatur, quæ manè præsertim ante prandium adhibentur; verum etiam ipsiusmet capitis, & partis affectæ: sed tunc durioribus linteis, aut alia re exasperante vtimur, vt scilicet vlcerata tubercula medicamentorum vires in profundum accipiant. Hocq; fuit Galeni consilium, dum is testatus est, se in his peragendis vti consueuisse asperis marinarum bestiarum corijs, sepiarumq; testis, & pumice: quæ si præsto non erant, ipso auerso specillo, quod non latum, sed angustum extremum habebat. Sed manantia capitis vlcera, subdit ipse, quæ achores dicuntur, & fauos, & verrucas, & cætera huius generis, quæ medicamentis volumus discutere, prius exasperamus aut nostris vnguibus, idque modicè; aut duriore linteolo, aut alicuius eorum, quæ diximus, vsu; tum medicamenta imponimus. A venæ sectione vitiosi humores præparandi erunt syrupis, qui dissecandi, & attenuandi, contemperandique vim habeant, quales sunt, qui in superiori capite fuere descripti: sed præ cæteris probantur syrupus de fumaria, de lupulis, acetosus simplex, de boragine, de endiuia, de succo acetosæ cum suis aquis vel decoctis, & postea purgantibus ibidem propositis educendi erunt: sed præsertim pilulis aggregatiuis, aut de agarico, aut si corpus robustum sit, cochijs cum elleboro nigro præparatis; aut si bolos malint, Recipe rhabarb. electi, agarici trochiscati ana drach. j. electuarij lenitiui, saccari rosac. ana vnc. s. electuar. de succo rosar. drach. j. misce, fiant boli: Vel Recipe electuar. lenit. drach. vj. diaphœnic. confectionis Hamech ana drach. iij. cum saccaro fiant boli. In potu Recipe Agarici trochisc. Rheubarbari electi ana drach. j. seri lactis capr. vel decoctionis fructuum, & cichor. q. s. fiat infus. s. a. & facta express. & colatura adde diacathol: conis drach. iv. confect. Hamech drach. ij. syrupi rosati solut. vel mannæ electæ vnc. j. s. misce, fiat potio breuis. Verum vt maior à capite reuulsio fiat, catapotiorum forma præstantior est. Idcirco Galen. ad Psydracia, Achores, Helcydria, id est, pustulas vlcerosas, & exanthemata in capite conueniente victus ratione instituta, corporis, ac capitis purgationem adhibebat per pilulas ex aloe tanquam aliorum correctiuo, colocynthide, & scamnonea (æquali scilicet portione sumptis, vt alibi docet) ita vt brassicæ succo coactæ ex his pilulæ exhibeantur. Verum quoniam hac nostra tempestate corpora & naturæ validiora hæc pharmaca, colocynthidem scilicet ac scammonium, non ita sustinent, optimum est hæc duo medicamenta correcta in his pilulis conficiendis imponere: & subinde, vt alij prudentes viri melius consulti fecerunt, diagridium, & trochiscos alhanda suscipere: quoniam isti colocynthidem, illud scammonium correctum recipit: &, vt medicamen tutius adhuc euadat, Recipiendo aloes, trochisc. alhanda, & diagridij ana pares portiones, hæc ingredientia cum syrupo de stœchade in pilularum massam reformare: quarum quidem maior dosis scropulum vnum pro vice, vel, si corpora robustiora fuerint, vnum, & semis non transcendat. Caput præterea erit particulariter, post totius expurgationem, & per os, & per nares purgandum, ijs potissimum medicamentis, quæ in dolore capitis, & aliorum ipsius vitiorum curatione in primo libro tradita sunt. De Topicis porrò verba faciens Gal. præ cæteris probat acetum. Ex incidentium enim ordine existens, ait ille, vltra hoc, quod discutit, præcipuum quid in se habet, quo reprimit, ac, quod influit, depellit, vtpote, quod substantia sua parum calidum est, plurimum verò frigidum, & partium tenuium. sit itaque acetum exquisitè acidum, in quo nulla penitus vini qualitas appareat: hoc ipso sanè pharmaca metallica appellata, modo hoc, modo aliud imbues, achoribusque ex eis medeberis. Incipere autem ab imbecillioribus præstat, præsertim si dolor simul ijs adsit. Cimolia igitur ad hanc rem apta est, & Cretica, Lemniaque terra, & Samia, Pompholyxque, & Spodium, Spuma argenti, & Cadmia tenella. Quod si neque ex his quiescat malum, pharmacum ex charta siccũ aceto dilutum illinito. Neque obscurum est, capillos prius tollendos, antequam talia admoueas. Si verò acrius tibi ex charta pharmacum appareat, miscebis ipsi argenti spumam: siquidem abunde mordacitatem eius exsoluere velis, pari copia; si verò pauxillum

Marginal notes: Gal. 2. in 6. Epid. com. 4. — Medicamenta, quæ totius purgationẽ respiciunt. — Præparantia. — Purgantia. — Galen. 1. de med. loc. c. 9. — Purgantia caput. — Topica. — Galen. 1. de med. loc. 8.

mitigare voles, minori: quemadmodum etiam si plurimum eius vim exsoluere placeat, maiorẽ eius copiam addes. Porrò cum aliquando ruri mihi degenti pharmacum ex charta ad manum non esset, conspecta in ægri domo inutili alias charta, faculam postulaui, exustaque charta, ac aceto diluta, locum affectum illeui, hominemque ad me postridie venire iussi: Sciebam enim quòd cum duræ carnis esset, pharmacum ferre posset: qui cum venisset, parum aberat, quin curatus esset. Quare ad aliud pharmacum non transiui, sed eodem vti iussum postera die perfectè sanatum conspexi. Prudenti igitur viro opus est, & qui tum curandorum morborum substantiam, tum ægri naturam probè norit: insuperque pharmacorũ non iuxta genus tantum, sed & iuxta quantitatem cognoscat, quo singulis diebus, quali præsidio opus sit, coniectet. In extendenda enim, aut exsoluenda pharmaci, quod prioribus diebus admotum fuit, facultate, in quantum sanè affectio indicat, congrua curatio consistit. Quod si quando in vlcus manans inflammatum simul, & dolorosum incidas, lenies primum per humectum, cõcoctoriumque, ac emolliens, & acrimoniam arcens pharmacum, dolorem. Tale autem est parygrum appellatum ab Hera, alijsque plurimis descriptum, quod Recipit adipis suilli recentis curati vnc.xliv. ceræ vnc.xxiv. cerussæ, argenti spumæ ana vnc.vj. quæ liquari possunt siccis superfunduntur: Temporis autem spatio medicamentum consistit, spissaturq;. Satis autem manifestum est, quod ipsum in manu per specillum latum cum rosaceo emollitum, & ad vnguenti formam redactum, non emplastri forma, qualem à principio habebat, adhibere oportet. Conueniunt etiam hoc tempore ea, quæ ad sedem ex vlceribus, aut rupturis dolentem faciunt: necnon ea, quæ cancros mitigant. Hæc Galenus. Qui pariter ex Apollonij sententia, vbi inflammatio, dolorq; vehemens circa achoras consistit, tanquam conueniens pharmacum probat illud, quod ita paratur: Recipe olei quam optimi hæminam, & in pilam plumbeam infundito, & plumbeo pistillo terito, donec crassum, & subnigrum reddatur: deinde seorsim spumæ argenti libram vnam, & cerussæ tantundem terito, oleoque admisceto; postea verò eloto, & siccato capite, pharmacum illinito. Neque verò ex simplici tantum oleo, sed quandoque rosaceo, quandoque myrteo apparabis, & ad rugas ani intumescentes, rimasque, ac fissuras sedis, ad vlceraq; dolentia, omniaq; alia, quæ ex fortiorum pharmacorum vsu exacerbata sunt, optimum medicamentum habebis. Egregiè enim ea lenit, etiam si serpendo exedentia, aut etiam cancrosa, aut quomodocunque maligna existant. Quod si dolor, & inflammatio non adsint, ex eiusdem Apollonij auctoritate, Galenus approbat, quod Recip. spumæ argenti, olei ana drach.viij. foliorum rutæ tenerorum drach.v. aceti hæminæ quartam partem, simul trita capiti illinito. hoc enim pharmacum Galen. multo vsu exploratum habuit. Propinquum autem ipsi facultate est id, quod iuxta hanc commensurationem ab eodem Apollonio fuit proditum: Recipe cerussæ, sulphuris ana drach.vj. spumæ argenti, ceræ ana drach.iv. olei rosacei, aut myrtei quod satis est, vt ceratum liquidum fiat. Arida cum cerato committito, caputque inde illinito. Hoc autem & ad omnes in corpore eruptiones vehemẽter commodum est. Quin & quod postea sequitur, plurimum discussorium est, vt quod spumam nitri habeat multam, adeo, vt nisi olei copia castigetur, acrius sit, quàm conueniat. iubet autem ad vnam spumæ argenti partem, quincuplum spumæ nitri admisceri, hisque dum teruntur, paulatim oleum affundi, donec ad compagem illitioni aptam redigãtur. Aliud: Recipe terræ Cimoliæ, sulphuris viui par pondus, cum aceto terito, & in balneo affricato, calidaque abluito. Hoc tamen illinire etiam conuenit pharmacum, non solum, vt ait Apollonius, in balneo adhibere: Omnes enim habet facultates, quibus affectio indiget. Quod verò sequitur, securum vsum, & ipsum habet, eoque confidenter quis vtetur: Argenti spumam cum oleo laurino tritam, vbi calida prælaueris, circumlinito. Ita, loco argenti spumæ, cerussa vti licet, & in mali principio, ipsam myrtei oleo diluere; quia repulsorium est: vbi verò malum iam firmatum est, laurino diluenda: quia plurimum calfacit, & discutit. Rosaceum autem oleum, quo solo Apollonius caput illiniri iubet, vt Galenus nos admonet, debilissimum est, pueris, & mulierculis teneræ carnis in principio affectionis vtile existens. Concoquit enim & discutit, ac repellit, eaque omnia moderatè facit. Succus autem betæ, quo post oleum rosaceum caput illiniri iubet, efficacior rosaceo est, discussoriam vim habens, non tamen ad fortes, ac iam obfirmatos achores sufficit. Oleum autem laurinum simili modo adhibitum fortiter calfacit, & discutit, opusque habet corporis totius, & capitis euacuatione, quo discutiat humores

Ad Achores inflammatos.

Galen. 7. de cõp. per gen. cap. 2.

Galen. 1. de comp. loc. 8.

Ad Achores non inflammatos, & non dolẽtes, ex Apollonij auctoritate.

Gal. loco cit.

achores

achores facientes: Crocinum verò vnguentum discussoriam, & adstringentem, & concoctoriam facultates, sed rosaceo fortiores habet, quò fit, vt adultis, & robustis corporibus in affectionis principio conuenire possit. In pueris nonnulli vtuntur hoc pharmaco: Recipe cineris myrtillorum, gallarum ana drach.j. tutię drachmam j.s. butyri vetusti aqua rosacea loti vnc.j. cineres aceto læuigentur, deinde ad ignem misceantur. Aliud ad pueros: Recipe pulueris malicorij, lithargyrij, tutiæ ana drach.j.s. olei rosati vnc.sem. pinguedinis anserinæ aceto lotæ tantundem, misce, & fiat linimentum. In puerulis autem & nuper natis: quia eorum capita humidissima sunt, & humoribus refertissima, & epilepsiæ, & id genus alijs vitijs plurimum obnoxia, & dum praui succi ad eorum superficiem extra mittuntur, ab ijs malis pręseruātur, & à morte vindicantur: Propterea validè reprimentia, & astringentia cauenda sunt. In adultis verò, qui ficcioris sunt temperamenti, & robustioribus corporibus, necnon in contumacibus, & inueteratis achoribus ad validiora pharmaca confugiendum est. Inter quę Gal. probat medicamentum Sorani, quod metasyncriticū, id est ex alto euocāns humores appellauit, quoque Medicus quispiam magnum nomen est adeptus. Recipit autem olei cedrini sextarium j. aceti acris sextarios iij. coquito, donec exhalet acetum, deinde adijce adipis suilli veteris sale seruati lib.ij. eoque liquefacto, ollam ab igne auferto, & nitri triti bessem, sulphuris viui sexcuncem, sandarachæ vnc.j. infarcito. Postquam verò illitum pharmacum exaruerit, in balneo per prædicta smegmata confricari iube, perq; vinum, & oua, ac nitrum, & per radicum cucumeris syluestris decoctum, aut fęce Rhodia, & pumice cum aqua calida. Similiter vbi malum fortius est, & alijs non cedit, probatur chalcitis, fex vini vsta, quam tartarum vocant; sandaracha, calx viua, & cinis concharum vstarum. quibus cum aceto, & alijs aut succis, aut pinguedinibus enumeratis, prout res postulat, possunt medicamenta parari. Vnde prius potest caput ablui hoc decocto: Recipe aquæ chalybeatæ lib.x. cineris lignorum ficus lib.5. fiat lixiuium, in quo deinde bulliant foliorum oxylapathi, radicum betæ ana pugilli duo fiat decoctio, & colatura, & caput abluatur: quo abluto, & ficcato, illinatur hoc medicamine: Recipe fœcis vini vstæ drach.ij. calcis aceto maceratæ drach.iij. concharum vstarum vnc.semis, olei veteris q.s. vt fiat linimentum. hæc in duris conueniunt corporibus. In mediocribus autem corporibus, & achoribus cum Archigene constanter, & egregiè facit, & chalcitis cum aceto, & oleo veteri illinita; Aut betæ decoctum cum exigua Cimolia, sale, & vino admistis, in balneo affrica. Similiter Cadmia moderatè habet ad mediæ magnitudinis achoras. Citra mordacitatem verò resiccat cinerula, & pompholyx. Acetum verò in omni occasione ad achoras aptissimum est, vtpote crassos, & viscosos humores secans, atque id quod influit, discutiens, atque repellens. Verum ipso non vtique per se quispiam vtetur; Siquidem non proluere, aut lauare achoras velit, sed ad diluenda cum eo pharmaca, moderata quidem, in quibus incipit, & adhuc parua est affectio; fortia verò in maioribus, & diuturnioribus; fortiora autem adhuc in inueteratis iam, & ægerrimè curabilibus. Similiter dum vino ad diluendum vtimur, adstringens, vbi repellere; acre verò, in quibus discutere volumus, eligendum est. Si quis verò plurimas ad achorum curationem medicamentorum formas expetit, legat ea, quæ referente Galeno in primo de med.loc.cap.8. Crito ad achoras scripsit. Is enim sane diligentius, ac distinctè magis achorum curam tractasse visus est Galeno. At verò ad Psydracia, Helcydria, & Exanthemata in capite prouenientia Gal. conuenienti victus ratione instituta, post corporis ac capitis purgationem per pilulas ex aloe superius propositas, locali deinde curatione vtebatur, cuius generis est, vt ipse inquit, adianthum cum rosaceo illitum: aut fęnigræci decoctum adfrictum: aut malua cum farina hordeacea pro cataplasmate imposita: aut melilotum cum farina fęnigræci ex vino impositum, & cicerum decocto, ipsumque cicer coctum impositum, nuces amaræ commansæ, & illitæ. Discutit autem maximè & lilij radix affricta, & thus cum vino & aqua, & lupinorum amarorum decoctum affrictum, bulbi cum nitro affricti, thus ex aceto illitum; aut anchusæ radicem vstam, & tritam cum oleo, donec strigmentitiam crassitudinem accipiat, cum penna illinito, & ægrum iuuabis: Vel Recipe malicorij, nitri puluerizatorum ana drach.j. thuris drach.ij. & omnia simul mista, & aceto macerata capiti affricentur. Quod si forte in enumeratis malis, & achoribus capitis cutis auferatur (interdum enim totum caput excoriatum apparet) optimè ei auxiliatur medicamentum ex oleæ folijs in melle rosaceo maceratis, deinde ita macerata ipsi cuti, & loco affecto admoueantur:

Marginalia: Ad pueros. — Ad adultorum, & robustorū achores, dū inueterantur, contumacesque sunt. — In mediocrib. achoribus, & naturis. — *Gal. 1. de medic. loc. c. 9.* — Ad Psydracia, Helcydria, & Exāthemata in capite.

cutim

Ad ficus. cutim enim statim reficit. In ficuum verò curatione Gal. vtitur magis exsiccantibus, quàm in varis, vt ex medicamentis tum à Critone, tum ab ipso relatis conijcimus. Ideo proponitur primum medicamentũ, quod Recipit spumę argenti, siue lithargyrij drac. iv. thuris drac. ij. Terantur omnia, lęuigentur, apponanturque. In his quoque valentiora admouent, veluti sunt atramentum sutorium, misy, ærugo, & similia, vt Gal. ait. Celsus probat elaterium, lini semen contritum, & aqua incoctum, aut ficum in aqua decoctã, aut emplastrum tetrapharmacum aceto eliquatum, aut terram Erethriam. Vbi malum pertinacius fuerit, expedit vnà cum Paulo ad alumen, florem æris, squamam æris, cinerem, & huiusmodi alia fortiora confugere.

Victus. Scribebat autem Archigenes, ita referente Galeno, quod in quibus achores aut papulæ feruidæ, exanthematave, aut eruptiones circa caput vlcerosæ sunt, ab omni acri, & salso, itemq; acuto abstinere debent. Optimum est etiam, vt tum potuum, tum ciborum multitudinem, repletionemque omnino deuitent, necnon dulcia, & frixa, quæ facile bilescunt, & vina potentia, quæ caput petunt, & ea, quæ crassos, & acres humores gignunt, necnon lacticinia, quæ caput replent, & itẽ legumina, oleraq;, & id genus alia aufugiant. Quod si infantes, atq; lactantes his malis teneãtur, quod sæpius cõtingit, nutrices ab ijs omnib. esculentis, quæ praui sunt succi, & enumerata sunt, atq; ab ipsa Venere vndequaq; arceantur, & optimi succi cibis alantur. *Galen. 1. de medic. loc. 8.*

De Tinea. Cap. XI.



ABSOLVTIS ijs capitis pustulis scabiosis, quę humidæ sunt, reliquũ est, vt de siccis agamus, quas quidẽ tineas, seu tineã in singulari numero, ẽt si plures pustulæ plures capitis partes inuadãt, vulgus appellat: idq; ad illius parui animalis similitudinẽ, quod vestes & indumenta demolitur, eroditq;, & tinea nũcupatur. nã sicut vermis ille vestimẽta corrodit, ita huiusce modi vitiũ capitis cutẽ corrũpit, & capillorũ radices erodit. Non desunt, qui dicãt tineã à tenendo vocari: eò, quia sic caput obsidet, ac tenet, vt rarò ipsum dimittat. Hoc aũt malum Auic. Sahafati siccam vocat. Quocirca ne propter nominis ignorationẽ æquiuocatio aliqua cõtingat, animaduertendũ, ꝙ sicuti quidã Arabes sub nomine Sahati plures pustularũ, seu scabierum capitis species, & differentias, easq; tũ humidas, tũ siccas cõprehendere voluerunt, ita Guid. de Cauliaco, Nicol. Florent. & alij ex Neotericis sub Tineæ nomenclatura oẽs capitis pustulas scabiosas, siue humidæ sint, siue siccæ, & subinde nedũ fauos, & achoras, aut ẽt alias passiones, quę in harũ duarum medio quodãmodo sunt, & insu per ficus, & alias pustulas humidas, de quib. superiori cap. differuimus, verum ẽt tineã magis propriè dictã, quã ipsi Lupinosam vocant, & alias siccas pustulas cõplexi sunt, de quib. nos in præsentia tractare intẽdimus. Nos verò, qui claritati, & faciliori doctrinę studemus, & ad cõem nostrę tẽpestatis appellationẽ respicimus, per Tineã siccas tantũmodo capitis pustulas scabiosas audiri volumus, quemadmodũ ẽt fecit Auenzoar, qui separatim & Sahafati humidã & Tineã sub duob. cap. perstrinxit. Est itaq; Tinea, magis propriè dicta, capitis scabies sicca, crustosa, seu squamosa ab humore melancholico, cui, vt inquit Auic. aliqua biliosa, & acuta, seu acris humiditas permiscetur, procreata. Huius. n. mali causa cõtentiua est humor melãcholicus siccus, prauusq;, biliosæ, acriq; humiditati permistus. Hæc. n. acuta, & biliosa humiditas tanquã vehiculum quoddã, & excreticẽ vim irritãs, est in causa, vt crassus, & siccus humor ad capitis cutẽ expellatur, & cutis capillorũq; radix erodatur, & corrũpatur. Crassior aũt humor in capitis cute subsistẽs pustulas crassas, & duras, siccasq; potissimũ procreat, eò, quia tenuis illa humiditas exsiccatur, non tantũ quia resoluatur, sed etiã quia extramittitur, ac diffluit. Ijdẽ humores, dum in corpore sunt, vel in capite, & nondũ ad cutem capitis prouecti sunt, causę antecedentis locũ habent. Hi autem praui humores, atque etiam illi, qui psydracia, fauos, achores, & alia mala in superiori capite proposita producũt, vel in vtero matris ex prauo sanguine mẽstruo, aut vitioso semine ortũ ducunt, vel post ortum propter prauam viuendi normã, & præsertim ob errores in cibo, & potu, aut propter viscerũ intemperantias, affectionesq; generantur: qui postea vel à toto corpore, vel ab aliqua præcipua parte, ad capitis cutẽ per fluxionem mouentur. Huius verò siccæ capitis scabiei ac Tineæ differentiæ duæ potissimũ à Recentioribus statuuntur: Quarum vnã lupinosam appellãt, quę colore, & figura lupinis ferè similis est, & à qua quasi cortices, & squamę decidunt, interdum citrinæ, interdũ nigricantes, sed vt plurimũ cinerę, aut albæ, ac

Margin notes: Nomen. — Natura. — Causæ. — Causæ remotiores. — *Guid. trac. 6. doct. 2. c. 1. Nic. Floren. Tr. 2. sum. 2. ser. 7. c. 20.*

siccæ: Alterã furfurosam vocant, à qua corpora fluunt subtilia, vt plurimũ furfuri similia: inter quæ nonnulla aliquando corpora aliquantulum crassiora cõspiciuntur. Et sicuti prima differentia ab humore minus sicco, ac duro, qui quidẽ alicuius lentoris, seu viscíditatis particeps est, ortum trahit, ita secunda species ab humore magis sicco, & friabili generatur. Quæ quidem duæ species nonnunquam inter se complicatæ animaduertuntur. Non desunt aliqui, qui tertiam huius affectionis speciem in medium afferant, velintq; illam scabiei siccæ speciem, quam ruffulam nonnulli vulgares nuncupant, quæque plurimum in puerulis nuper natis, & lactantibus prouenit, inter tineæ species collocandam esse. Veruntamen hi à scopo aberrant: quia species hæc longè à tinea, de qua loquimur, & penes siccitatem, & penes sæuitiem pertinaciamque, distare videtur. nam ex se decidere consueuit absque vllo Medici auxilio, & durities, quam habet, ex humoris potius congelatione oriũ ducit, & proinde sub psydracijs potius, & alijs pustulis humidis superiori tractatu enarratis collocari debet. Tinea verò de qua sermo est, ab humore melancholico sui natura sicco procreatur. Ex huiusce verò affectionis tradita descriptione, atque natura facillimũ est ipsam cognoscere, & à reliquis capitis vitijs superius propositis distinguere. Est enim capitis scabies sicca, duraq; cum squamis quibusdam ac crustis, & cũ nulla, aut pauca admodum humiditate, vnà cũ pilorum euulsione, cineritio colore, & odore fętido, horribiliq; aspectu. nonnunquam enim scabies hęc cinerulenta ad citrinitatem, viriditatem, nigredinemq; declinat, à qua, vti diximus, aut nihil emittitur, aut quid parum, valde subtile, vrinæ persimile. Differentiæ porrò ex dictis claræ sunt. Affectio autem hęc pueros potissimum, necnon pauperes apprehendere consueuit, hos quidem propter praua cibaria, & cacochymiam in ipsis redundantem, & quia nullam de capitis ablutione, abstersioneq; curam habent; illos verò nedũ propter voracitatem, prauamq; viuendi normam, verum etiã propter nimiam capitis laxitatem, humiditatem, & imbecillitatem. Est insuper affectio hæc difficilis admodum curationis, & vbi protrahitur, & antiqua fit, & callosa, squammosaq; est, & pilos corrodit, est adeo laboriosa, inquit Guido, vt Rogerius cõsulat Chirurgis, vt potius ab eius curatione se subtrahere velint, quam curã aggredi, idq; propter humoris, à quo fit, pertinaciam, & propter prauam intemperiem & affectionem ab eo in capite, & eius cute impressam. Quocirca dũ cutis capitis dura, callosa, aut testacea reddita est, affectio curationem ferè non suscipit: & vitium hoc, vbi curatur, inquit idẽ, escharam quandam dimittit, priuationemq; capillorum ad opprobrium sempiternum. Tineam verò pediculorũ multiplicatio comitari solet, & tandem affectio in lepram abire consueuit: quia Lepra ab eodem prorsus malo succo procreatur. Et insuper, vbi longiori tẽpore perdurat, in Alopeciam, & Ophiasin consummatas atque perfectas migrat. Indicationes ex dictis in superiori cap. & in cõmuni tum scabiei, tum pustularũ sermone, apertissimę sunt. Id autem peculiare in hoc malo animaduertendũ est, vt melancholici humoris præparationi, eductioni, reuulsionique, & ad alias partes auersioni, & ne is rursus generetur, prohibitioni omnino incumbamus. Et reprimentibus, propter humoris crassitiem & siccitatẽ, omnino posthabitis, materiam cõiunctam solis discussorijs eradicemus: prauamq; capitis cutis intemperiem, ac siccitatem, & quamcunq; aliam vitiosam affectionem, vbi opus sit, & malũ protractum fuerit, auferamus, & penitus eradicemus. Quantum attinet ad curationem, si de chirurgicis pręsidijs sermo fiat, vbi vnà cũ humore melancholico in toto corpore sanguis redundet, & quoquo pacto notha plenitudo malum foueat, vt tutius ad localia remedia, quæ relaxantia, & humectantia, & vt apparebit, validiora sæpius, & calorifica, deurentiaq; nonnunquam futura sunt, descendere valeamus, post aluum, pharmacis lenientib. in sicca scabie propositis, subductam, vbi virtus valida sit, & ætas florens, vena secanda est, communis scilicet vel dextri, vel sinistri brachij, prout mali origo vel à iecore, vel à liene dependet, aut vtraque, si ambo hæc viscera affecta sint; sed in minori copia pro singula vice sanguis tunc erit detrahendus. Sin virtus, aut ætas auxilium hoc non permittat, scarificatis cucurbitulis, aut hirudinibus vtendum erit, eodem prorsus modo adhibitis, prout in superioribus proximis duobus capitibus docuimus. Quinimò in adultis hirudines hæmorrhoidibus singulo mense, aut etiam frequentius adhibitæ, vt scilicet natura crassum, & limosum sanguinem ad illam partem mittere adsuescat, optimæ censeri debent. Post totius autem corporis, & capitis per os, & nares purgationem, vbi malum rebelle est, & præsidijs, quę per pharmaca idonea administrantur, non cedit, optimę quoque sunt cutis capitis, & loci affecti frequentes scarificationes, incisio-

Signa.

Prognostica.

Guid. loc. cit.

Indicationes.

Curatio. Chirurgia.

cisionesque, vt praua illa materia cutim capitis obsidens deriuetur, & exactè eradicetur. Capillos autem tum deradendos, tum radicitus euellendos esse, postea dicemus. Pro totius autem corporis expurgatione primum melancholici humores, & itidem acres præparandi sunt cum syrupis in sicca, & melancholica scabie proditis: nempe ex boragine, melissa, cetrach, lupulis, scabiosa, fumaria, violis, cichoria, endiuia, pomis, & id genus alijs paratis. Quibus vbi hi praui succi fuerint ad eductionē præparati, ad eadem pharmaca purgantia erit deueniendum, quæ in eadē sicca scabie descripta sunt; ita tamen, vt cum caput particulatim sit obsessum, catapotiorum, seu pilularum forma (hæc enim à capite magis reuellere apta est) eligatur. Propterea maximè probantur cochiæ cum elleboro nigro præparatæ, necnon hiera Pacchij cum elleboro. Quinimo pilulę in superiori capite propositæ, quibus Gal. vtitur, ex aloe, diagridio, & trochiscis alhanda confectæ, si puluere corticum radicum ellebori nigri præparentur, optimæ erunt: sicuti laudantur etiam pilulæ de lapide Lazuli, & de lapide Armeno. Si potionem malint, non est recedendum à decoctione foliorum senæ, vel epithymi, aut polypodij cum syrupo de polypodio magistrali, ita tamen, vt senæ, epithymo, aut, si lubet, elleboro nigro sua correctiua addantur, vt alibi docuimus: quorum præcipua sunt gingiber, daucum, cinamomum, & id genus alia. Optimum etiam est suprascripta in sero lactis caprin. decoquere, aut infundere. Si bolos eligant, elect. lenitiuum, cum confectione hamech, concedatur. Mirifice quoque prodesse solet decoctio mirobalanorū, & epithymi, cui aliquid aloes, & scammonię infundatur, & post minorationem materię, quod residuū est, cum aqua casei, seu sero lactis, & aqua fumiterræ, aut aqua casei, & epithymo, si virtus ferat, euacuetur, aut cum pilulis, quæ aloem, diagridium, & troschiscos alhanda recipiunt, & cum succo brassicæ reformantur. Quod si patiens possit sustinere, nonnulli cōsulunt, vt ieiuno stomacho, & mane, myrobalanum vnum Indum tritum, & cribratum cum aliquo apozemate ad bibendum propinetur, idque singula octaua die, aut si corpus imbecillius sit, longiori interuallo; aut breuiori, si robustius erit, faciendum est. Nam praui succi hoc malum producentes assiduo regenerari consueuerunt. Caput pariter, post totius expurgatiooem, per os & nares, vt superiori capite diximus, purgari debet. Post totius corporis expurgationē, topica erunt admouenda. In quorum administratione illud imprimis obseruandū, vt pili prius, si qui sunt, exactè abradantur aut volsella, aut dropace aliquo, vel psilothro eradicentur. Euulsis capillis, vbi affectio recens, aut mitis est, tota affecta cutis panno seu linteolo aspero, aut alijs auxilijs, de quibus cū Gal. in superiori cap. loquuti sumus, vel, vt alij iubēt, puluere ex æquali sępiæ, & nitri portione parato valēter fricari debet, & deinde ablui cū aqua decoct. chamęmeli, betarum, & fumiterrę, & postea medicamenta applicanda sunt. Vnde consulunt nōnulli, vt frequens inunctio adhibeatur cū oleo amygd. dulc. vel cum oleo nucū, aut cum pinguedine anatis, vel gallinæ, aut cū mucilagine psyllij, & tragacanthi. Rhases verò decoquebat semen maluauisci, seu althęæ cū oleo, & eo caput inungebat. Auic. vtebatur frequenti balneo, non tamen diuturno, & euaporatione ab ipso capite suscepta & ab aqua calida, aut tepida prodeunte aliquoties in die, & post capitis exsiccationē, olea & pinguedines admouebat. Et post aliquot dies, vbi opus erat, iterum capillos diligenter abradebat, & rursus abluebat cū lixiuio communi, in quo althęa, malua, fęnumgręcum, beta, melilotum, & fumaria essent incocta, & post ablutionem hoc vnguento caput illinebat. Recipe mucilaginis fœnigræci, axungiæ gallinæ, suillæ recentis ana partes æquales, croci parum, misce, fiat linimentum. Alij vtuntur linimento ex mucilagine psyllij, & tragacantho mixtis cum nitro, & mirobalanis emblicis subtilissimè tritis. Lupinosam verò, & furfurosam tineam sanat linimentūm, quod ℞. adipis gallinæ, axungiæ suillę recentis, cerę albæ ana q. s. simul misceantur. Alij verò mitiorem tineam sic curari iubent, capillis corruptis volsella euulsis affectā cutem puluere ex sepia & nitro valenter fricandā esse imperant; deinde altera quaque die caput hoc decocto lauari iubent: ℞. radicum bryonię, radicum liliorum alborū ana pug. j. florum maluarum, fumiterræ, oxylapathi ana pug. ij. bulliant in x. lib. aquæ vsque ad consumptionē quartæ partis, & facta expressione, adde vrinæ cyathum j. & hoc decocto altera quaq; die caput ablue, & altera intermedia die frica, & depila: post exsiccationē verò caput inungendum supradictis medicament. vt oleo amyg. dulciū, oleo nucū, aut pinguedine gallinæ. Si verò nihil hæc medicamenta proficiant, quia s. malum contumax sit, & iam protractum altas radices iecerit, locus fortiter fricandus cum aspero linteolo, aut cum alumine fęcum dissoluto in aqua, aut lixiuio

Medicamenta.
Pręparātia.
Purgantia.
Galen. 1. de cōp. loc. vlt.
Gal. loco cit.
Topica.

decoctionis capillorum Veneris, fumariæ, chamæmeli, & betarum. postea ex Auicennæ consilio per locum affectum sanguis plurimus euacuandus, ideo locus affectus profundè scalpellandus, vt sanguis copiosus effluat, & nonnulli post scalpellationē hirudines admouent: Et post extractionem sanguinis per hirudines, aut per scalprum incisorium, aut per vtrumque, affectus locus fricetur cum sale & nitro, aut cum alumine fœcum dissoluto cum aqua fumiterræ valenti fricatione: & deinde inungendus cum dictis vnguentis donec scalpellatio sanetur: & tunc, si cutis clara, & sana apparuerit, curatio erit dimittenda; sin minus ablutio, ac fricatio reiterandæ erunt, & pariter inunctio erit repetenda, de quarta in quartam, donec sanitas appareat. Alij tineam pertinacem hoc modo curant: Recipe axungiæ suillæ (quam vulgus lardum vocat) liquefactæ, succi chelidoniæ ana part. æqual. incorporetur cum ijs puluis ellebori albi ad æqualem portionem illum sensim, & sensim miscendo, donec fiat emplastrum, quod ponatur super caput abrasum, bene emollitum ante abrasionem cum succo chelidoniæ: & emplastrum saltem de tertia in tertiam diem permutetur. Inquiunt autem signum curationis esse, si crustę albæ appareant. Contrarium enim rubedo earum significat. Nonnulli verò in malo antiquo locum scarificant, deinde applicant cataplasma ex farina lupinorum cocta cum aceto, & pro necessitate tum scarificationem, tum cataplasma repetunt. Alij extollunt vnguentum de cantharidibus ita paratum: Recipe cantharidum purgatarum pulueriz. drach. ij. sulphuris vnc. s. corticum nucis vnc. ij. sinapis, myrrhę ana drac. j. mellis & aceti quan. suf. Teneatur hoc emplastrum super loco per vnū diem; postea eo amoto, superponantur folia caulium calfacta per quatuor dies, donec aquositas sit bene detersa, & fętor sit ablatus, probusq; color, & viuidus in cute appareat. Si verò prauitas aliqua in cutis profundo sit, cū aliquo corrosiuo caro putrida corrodatur, deinde locus abstergatur, & consolidetur. Propterea in tinea vteri & rebelli confugiunt quidam ad pharmaca ex calce, ære, chalcantho, sulphure, & id genus alijs parata, quia cutis corruptelam, & infectionem quamcunque eradicare valent: sed parte depilata sunt admouenda. Quocirca nonnulli hoc vtuntur: Recip. succi fumariæ, scabiosæ, boraginis, lapathij acuti, aceti ana vnc. iij. olei antiqui lib. j. bulliant omnia in duplici vase vsque ad consumptionem succorum & aceti, deinde inspergantur infrascripti pulueres: Recipe vtriusq; ellebori, sulphuris viui, chalcanthi, auripigmenti, calcis viuæ, aluminis, gallæ ana drach. sem. viridis æris drach. ij. terantur, & cribrentur omnia diligenter, & cum prædicto oleo misceantur, & addendo picis liquidæ, & ceræ q. s. f. Ceratum, quo tota capitis pars malè affecta cooperiatur. Si enim malum incurabile non sit, hoc auxilio reliquis peractis adhibito, profecto extirpabitur. Quidam verò tineam rebellem curant euellendo capillos cū psilothro, aut cum pileo puro: postea abluendo cum aceto, & aqua salsa, aut vrina pueri: deinde superponunt vnguentum hoc: Recipe cœpæ, adipis vrsini, & vaccini ana vnc. j. stercoris muris, granorum iuniperi ana drac. ij. aranearum combustarum drach. j. picis liquidæ, & olei lucernæ q. s. ad conficiendum vnguentum. Aliud ad idem: Recipe axungiæ suillæ antiquæ dissolutæ in aqua, & aceto lib. j. picis liquidę, & olei oliuarum ana lib. sem. succi abrotani, succi menthæ Saracenicæ, succi fumiterræ, succi lapatij acuti, succi erucæ, succi mercurialis ana vnc. j. aluminis iameni, chalcanthi, gummi hederæ vsti, fuliginis furni, salis casei, tartari, & aloes ana vnciam s. fiat ex omnibus vnguentum in mortario diu agitando, & terendo. Psilothra verò quæ quidem capillos ad tempus auferunt, sunt illa, quæ eroderdi, & deurendi vim habent, qualia sunt superius descripta, videlicet auripigmentum, arsenicum, sandaracha, calx viua, & similia, quæ licet pilos erodendo tollant, eorū tamen radices non lædunt. Quæ tamen vbi cutis dura & arida est, cauenda sunt, ne durior & callosa euadat. Ea verò non pura, sed emplasticis medicaminibus castigata vsurpari debent. Talia verò sunt præsertim amylum, succus ptisanæ, & succus oryzæ. Proinde psylothrū, si lubet, poterit ita confici: ℞. calcis viuæ, auripig. ana par. æqual. succi ptisanæ q. suf. cum pauco aceto fiat pasta, quę liquidiuscula esse debet, vt depilandæ parti optime illiniri possit. Sunt autem medicamenta hæc tamdiu in parte detinenda, quamdiu pilos abstulerint. Et ideo, antequam vesicam excitent, aliquo lauacro vel decocto auferri debent. Quod si fœtor aliquis post ablatum psilothrum remaneat, Rhases iubet, vt locus fricetur santalis, surfure, seu substantia carthami. Si nigredo remaneat, idem Rhases probat decoctum cicerum, vel decoctum ex fabacea farina, & cicerum. Clarum est autem ex dictis de causis huius mali victus rationē humectantem esse debere, & proinde optimi succi cibis, vt panè optimè fer- *Victus ratio.*
mentato,

mentato, & præsertim turturibus, auiculis montanis, hordeo optimè cocto, & id genus alijs humectantib. cibis laborantes esse regendos. Euitanda tamen omnia dulcia: quia facile bilescunt; & portulaca, quia à proprietate in hoc malo, & scabiosis affectibus inimica est; & lacticinia omnia, quia facile corrumpuntur, & caput replent: ita vitanda frixa, & assa, necnon pisces, & oua, & fructus omnes exceptis granatis dulcibus, & angurijs, quæ prauum succum per vrinam educere valent. Simili modo crassa, acria, salsa, & amara omnino caueant, & caput radijs Solaribus, aut igni nullatenus exponant. acetum verò tantummodo in pauca quantitate, & pro aliorum ciborum condimento conceditur. Sicuti autem ad corporis humectationem possunt ingredi balnea dulcis aquæ temperatæ calidæ; ita pro capitis refrigeratione expedit, vt mane rosas, myrtillos, & nymphęam odorent. Hac etiam de causa Halyabbas naribus oleum violarum, vel cucurbitæ, & amygd. dulcium infundebat.

De Pustulis biliosis, Impetiginibus, & Paronychijs. Cap. XII.



SANGVINEIS pustulis, ac scabiei generibus iam explicatis, maximè affines sunt pustulæ biliosę, quarum nonnullæ, vt impetigines, & paronychiæ, sunt scabiei ferè congeneres. Quocirca congruum est, vt hoc in loco pustulæ omnès biliosę à nobis examini subijciantur. Harum porrò differentiæ potissimę ab humore, ex quo fiūt, & ab affecta parte elici possunt. Si enim de succo, à quo generantur, sermo fiat, Phlyctenæ, & Phlyctides Græcis dictæ repentè emergunt, subflaui humoris copia distentæ, bullarū modo lucidæ, atque ijs similes, quæ ab aqua feruida, vel ab igne ambustis erumpunt, non manifesto tamen dolore graues. His ruptis, humor excidit, crustulæq; obdurescunt, dum sanescant. Has autem constat non nisi ex feruentissima bile gigni, quæ ignē viribus suis adæquet, vt non pręter rationem vulgus idcirco ignem sylueſtrē eas appellarit. His proxima est Papula, quæ quidem ardor est cutem serpentibus minimis pustulis exasperans, ac rodens, & Herpes Gręcis dicitur: quę duplex est, miliaris s. & exedēs, quæ etiam fera à nonnullis vocatur. Quarum omnium differentiarū causas, & curationem in serm. de tumorib. biliosis exarauimus. Ob id illis hoc in loco silentio omnino inuolutis, ad alias biliosas pustulas pergemus: In quarum numero est Impetigo, vulgò volatica dicta: quæ quidem cutis est asperitas dura, & sicca, cū ingenti prurigine. Ea verò à scabie in eo distat, quod sicca sit, & omnis humoris, omnisque scabiei expers. Huius porrò duæ species statui possunt: Vna admodum simplex, qua cutis rubra, dura, exasperataq; vehementi pruritu roditur: quæ etiā simplici pruritus nomine contineri potest, & ex bile, aut tenui pituita, quæ tamen putrida sit, aut salsa, & quæ sub vna epidermide coercetur, eamq; exedit, ortum trahit: Altera est vera impetigo, Lichen Græcè nuncupata, quæ asperior pustulis maiorib. emergit, acrius erodit, latiusq; procedit. Hæc sæpe ex neglecta Herpete, præsertimq; exedente, fit. nisi enim hæc maturè sublata sit, in lichenem vertitur: quemadmodum hic deinde in psoram Græcorum (quæ scabies sicca est) & Psora in Lepram nonnunquam abire solet. Lichenis itaque materia, seu continens causa est bilis ardentior, aut pituita putris, ac salsa, non tenuis illa quidem, sed quæ crassitiem aut ex se, aut ex aliorum succorum permistione contraxit. Ob id Rases, & Serapio voluerunt, Impetiginem ex crassis succis, sed cum tenuib. acribusque, & proinde biliosis admistis generari: quamuis in mistione modo isti, quod sæpius accidit, modo illi prædominentur. Et idem Rases inquit ipsam ex materia quidē modicę quantitatis (vnde vnicam, aut paucas partes ferè obsidet) sed viſciditatem cum acredine, seu acuitate habente procreari. Alij autem dixerūt, quod impetiginis materia aut est sanguis adustus, vel cum bile acuta permistus, aut salsa pituita, quæ adusta cū sit, ad atrabilarem naturam vergit. Quæ quidem sententiæ omnes in idem recidunt: quia sanguis, dum aduritur, penes tenuiorem portionem in bilem, penes crassam in melancholiā vertitur. Scribit autem Auicen. de legitima impetigine verba faciens, aliam esse humidam, & hanc ab adusto sanguine gigni; aliam siccam, quæ fit à salsa pituita adusta, & aliam esse vlceratam, propter vehementiam siccitatis, & caliditatis, & quia materia profundiores cutis partes inuadit (talis enim materia, si diu in loco permaneat, ipsum exulcerat) aliam verò sine vlcere: Insuper alia serpendo progreditur, & ma-

Differētiæ. Phlyctenę. Papula. Impetigo. Lichen. *Rhases 25. conti. serm. prop.* Impetiginis differentiæ. Serpigo.

ligna eſt, quam ob cauſam ſerpigo vocatur; alia verò ſtat, & non ſerpit: alia recens eſt; quædam autem antiqua. Pariter ſerpigo & impetigo poteſt eſſe vel magis, vel minus ſuperficialis, aut profunda: quamuis enim in ſuperficie appareat; attamen materia eius magis vel minus profundatur, pro ratione diuerſitatis materiæ, ex qua fit. hæc enim compoſita eſt ex parte tenui, quæ ſuperficiem petit, & extra vergit; quæ tamen pauca eſt, & ex parte craſſa grauique, quæ in profundo remanet, quæ cum copioſior ſit, profundiores partes magis obſidet, quàm ſuperficiales. Communiter autem impetigo dignoſcitur, eò, quia accidit ſubrotunda, quaſi foramen in medio ipſius reperiatur, & cum pruritu, ardore, & aſperitate. Huius autem rotunditatis cauſa eſt eius materia, quæ tum ſurſum, tum deorſum inclinat, vt dictum eſt; figura verò rotunda ex differentia, quæ ad ſurſum & deorſum eſt, componitur. Inſuper locus impetigine obſeſſus, ſi vlceratur, cruſtoſus euadit, & dum laborans locum affectum ſcalpit, cortices ab eo decidunt. Humida autem impetigo ad rubedinem vt plurimum tendit; & cum fricatur, humiditatem ad modum ſudoris expellit. ex ſanguine enim aduſto, & in melancholiam verſò fit. Quæ verò ſicca eſt, ad albedinem, ſiue cinereitatem vergit: quia ex ſalſa, aduſtaque oritur pituita. Prognoſtica verò ex dictis de ſcabie ipſa clara ſunt. Vnde quidam aiunt, Impetiginem eſſe veluti ſcabiem denſam, ſiccam, & aſperam. Quamuis autem in quacunque corporis parte prouenire poſſit, vt plurimum tamen circa puerorum capita, partes colli, &, vt ait Gal. in facie ipſa contingere conſueuit; quam & deturpare ſolet; quia inibi amplior fieri videtur. Quanto vero in Impetigine magis acuti ſucci dominantur, tanto velociori tẽpore ſanatur; & è cõuerſò. Similiter humida Impetigo cito ſanatur. Sæpius autem in hyeme malum iſtud contingit, quia, Auicenna teſte, frigus, internas, præſertimque capitis partes coarctando, materiam ad cutim exprimit. ſicuti etiam æſtate apparere ſolet, propter ambientem calorem ad eaſdem cutaneas partes ſuccos iam dictos trahentem.

Signa. *Prognoſtica.* *Galen. 4. de comp. medic. loc.*

Paronychia quæ ita dicitur à Græcis, quaſi ad vnguem fiant, & à Cicerone, alijsque multis Reduuia appellatur; à Guidone verò, & alijs nonnullis Chirurgis Panaritium nuncupantur, eſt paruus abſceſſus, ſeu parua puſtula, quæ & ipſa ex calida, & acri bilioſaq; materia, & circa vnguium radices gignitur. Non enim ex probo oritur ſanguine, ſed bilioſo, aut cum ſalſa pituita, vel alio humore exuſto, & acri erodentiq; permixto. De ipſa verò in puſtularum ſermone agere voluimus: quia licet interdum ad tantam magnitudinem perueniat, vt ea mediante actionem impediat, & ſubinde in calidorum tumorum numero recenſeri poſſit; nihilominus rarò ad morboſam magnitudinem, quæ actiones organicas impediat, perducitur, & ſi digiti motum lædit, id medio dolore efficit: & ſæpius exigua puſtula eſt, quam nec ingens dolor, nec alia ſæua ſymptomata comitantur. Quocirca abſceſſus circa vnguis radicem modo ruber, modo ad citrinum, aut albidũ, vel fuſcum colorem vergens conſpicitur, qui tamen nonnunquam adeo difficilem, vehementemq; dolorem ex Auicenna inferre ſolet (propter ſucci ſcilicet influentis prauitatem, & propter loci affecti, qui neruoſus, tendinoſusq; eſt, valde eximium ſenſum) vt ei, nedum febris, & mentis alienatio, verum etiam ſyncope, & mors ſuperueniat. Quandoque verò vlceratur, & eroſionem, corruptionemque carnis inducit, necnon ipſum digiti os putrefacit, atq; corrumpit, ita, vt ſphacelus ſubſequatur, & ſaniem emittit tenuem, virulentam, & vt plurimum fœtidam. Sæpius verò adeo ſæua ſymptomata non apparent, ſed circa vnguem ſicca & aſpera puſtula, ſeu ephelcis quædam, ad ſcabiei ſimilitudinem, conſpicitur: interdum digiti cutis ab vngue ipſo circum circa omnino ſeparatur, & ſæpius in pedis pollice in interna præſertim parte vnguis ipſe carnem adiacentem, & ab ea ſeiunctam vlceratamque pungit, affligitque, & prauus ichor continuè ab eo promanat. Dolor tamen non ita, in pedis digito, vehemens excruciat, vt ratione ipſius aliquod malum, vel vitæ periculum timendum ſit, vt in digito manus accidit. Dum enim intenſus dolor ſuboritur, & adeo difficilis, vt mitigantibus non cedat, tunc ſupraſcripta mala metuenda ſunt. Reliqua verò, quæ ad huius mali ſigna, præſagiaq; attinent, ex dictis de calidis tumoribus præter naturam, & abſceſſibus hauriri poſſunt. Et idem prorſus de indicationibus, & materijs, quæ his ſatisfacere poſſunt, ſtatuendũ eſt. Simili modo curatiuæ indicationes, quæ in Impetigine ſunt depromendæ, ex dictis de ſcabie apertiſſimæ ſunt. Impetiginis enim curatio ei, quæ ſiccæ ſcabiei competit, eſt perſimilis. Quare pauca quædam de horum præſidiorum materiebus, quæ in hoc malo magis peculiares ſunt, proponenda ſuperſunt. Ideo ſi de Chirurgicis præſidiorũ materijs ſermo fiat, non modo, vbi ma-

Paronychia. *Cauſæ.* *Differentiæ & ſigna.* *Prognoſtica.* *Indicationes.* *Impetiginis curatio.* *Chirurgica præſidia.*

vbi malum id requirat, & pertinax sit, probatur venæ sectio, & præsertim iecorariæ, aut alterius, quæ totum corpus euacuare, atque à loco affecto reuellere valeat, verum etiam venæ, quæ parti affectæ proxima sit, pro deriuatione scilicet adhibenda. Qua de re Rases & Auicennas in antiqua impetigine vtebantur hirudinibus affectæ parti applicitis, & frictione, donec sanguis plurimus egrederetur, & vitiosa carne resoluta, bona, & inculpata appareret. Auicennas verò venam parti laboranti vicinam aperiebat, vt venam saphenã, vel malleoli, vbi impetigo coxas, vel tibias obsidebat; saluatellam verò, si brachium, vel humerum detinebat. Sed potissimum his auxilijs occurrebat post balneum, vel fomentum multoties factum ex aqua dulci, in qua fumaria, scabiosa, & chamæmeli flos essent incocta. Pro totius autem corporis expurgatione ab ijs, quæ in sicca scabie fuere proposita, & à sero lactis præsertim cum epithymo, sena, & alijs sanguinem purgantibus non est desistendum. Post factam purgationem, localia adhibenda sunt, quæ abstergendi, discutiendi, & siccandi, necnon pruritum mitigandi, & subinde humectandi vim habeant. Sed faciei impetigo validis exiccantibus eget. Sed vbi vertitur in scabiem, præter insignem desiccationem, detersionem quoque postulat. Tunc enim quia serpere solet, & interdum ad oculos pertingere, non est curatio negligenda. Dum verò exacerbatur, & exasperatur, non est acribus tentanda medicamentis, ne irritata fiat malignior, & difficilior: imò lenienda, & mitiganda est eius exasperatio: Valentius autem agere licet, quando aliquam habet intermissionem. Similiter recens facilioribus, & mitioribus curanda; inueterata fortioribus. Sed ætatis & naturæ corporis non parua est habenda ratio. Nam pueri & mollia corpora, muliebriaque leuibus auxilijs sanantur. Vnde in principio auctores adhibent medicamenta, in quibus mitigatio, & humectatio præpolleat, & resolutionem superet, & in progressu vtramque vim æqualem habeant; & in fine magis discutiant, quàm mitigent, & humectent. Verum vbi malum recens est, sæpius sola mitigatione, humectationeque tollitur. Propterea Rases scriptum reliquit, in recenti impetigine se nullum præstantius remedium vnquam obseruasse ipsa illinitione facta cum oleo adhibita post frequentem aquæ calidæ fomentationem. Idem probat frequentem illinitionem successiuè factam cum adipe gallinarum, & anatum. Quod si fiat illinitio cum gummi Arabico in aceto forti dissoluto, malum penitus aboletur, vt idẽ ait. Serapio verò vtebatur illitu ex aqua hordei, aut decoctione furfurum, & seminum melonis, aut oleo tritici cum acetositate citri. Pueris verò scribebat Gal. nutrices lichenas curant saliua ipsa, paruum videlicet digitum rigantes, ac deinde cutem affectam fricantes. Idque faciunt subinde tanto scilicet interuallo dum saliuæ vires in lichene perdurent, ac nondum sint extinctæ. id tamen agere debent, antequam cibum capiant, & ieiuno ventre, quia post cibum assumptum, saliua virtute imbecillis euadit. Pariter inter facilia refert Crito (teste Gal.) si tritici granis in incudẽ, vel aliud instrumentũ ferreũ multis impositis, mox carcina ærea candente ignita & candente illis apposita, liquor ex ijsdem granis vi ignis eliciatur, & ilico ita calido impetigo illinatur. Ita facile & aptum erit medicamentum syluestris maluæ fructus, dum tener est, acceptus, & mundatus, si contundatur, & expresso ex eo succo inungatur impetigo: sed tamen continenter id est agendum. Ita probatur parietaria, si ea sæpe affectus locus fricetur. Liquor etiam ex humidis oliuæ lignis, vel brassicarum caulibus, dum comburuntur, effluens vtilis est. Ab omnibus quoque probatur succus portulacæ, si sæpius eo locus illinatur. Alij probant succum cucumeris, & mucilaginem psyllij, necnon sinapim cum aceto, aut etiam oleum ouorum, & de serpentibus, & oleum iuniperi. Sed præ cęteris tanquam optimum oleum de tartaro. Lichena etiam herba, quæ à nonnullis hepatica vocatur, proficua est in recenti impetigine. Alij vtuntur vnguento albo facto de lithargyro, & vnguento citrino cum oleo de tartaro, & acido citri confecto. Acetositas enim citri efficacissima est per se ipsam ad impetiginem tollendam, si quis cum ea validè fricetur. Idem facit caro malorum fricatione adhibita: necnon linitio cum gummi Persicorum trito, & cum aceto mixto, & linito, & panis triticeus emplastri in modum applicitus cum aqua salita, etiamsi impetigo vlcerata sit. Hæc in recenti malo & præsertim in humidis corporibus, ac pueris maximè conueniunt. Si verò impetigo non sit ita recens in prædictis corporibus, atque naturis, myrrha, vt testatur Rhases, optima est, & præsertim in infantibus, si ea illinitio fiat. Pariter laudatur medulla panis infusa iu aqua, & superposita; aut emplastrum ex farina fœnigræci, aqua, & oleo: necnon amygdalæ amaræ illinitæ, & fricatæ. In

Pharmaca. Purgantia. Topica.

Si malum recens sit.

Gal. 10. simpl. fer. proprio.

Si malum non sit ita recens.

Galen. 4. de med. loc. *Gal. 6. simp.*

malo demum antiquato Galenus iubet, ut terantur folia capparis cum aceto,& superponantur: aut terantur folia laureolæ cum aceto: aut asphodeli radix cum aceto cocta, & deinde trita: extergentis enim,vt inquit Galenus,& discutientis est facultatis. Et idem dicendum de viticis filijs tritis,addito aceto & impositis. Hortensis quoque rumicis cortices radicum ex aceto leuigati, & appliciti: necnon chamæleontis radix parata maximè probatur. Fortiora sunt sulphur cum aceto: & item ammoniacū,& thus ex aceto dissoluta;necnon pix inuncta;& alcyonū genera. Et si callosa sit impetigo, his addunt acriora,ut misy,atramentum sutorium, squamam æris,& his similia, quibus uaria pro uarijs naturis componunt medicamenta. Paulus uerò vtebatur linimento cum sulphure, thure, & ammoniaco aceto dissoluto parato; Vel Recip. sulphuris, thuris, aloes, & chalcanthi ana part. j. gummi Arab. part. ij. tere & commisce cum aceto,& illine cum ijs: curat enim impetiginem antiquam,& malignam. Rases illiniri iubet antiquam impetiginem cum oleo albo, nitro, lupinis, & ammoniaco cum aceto forti, & post modicum tempus lauari, & iterum ablui, & sic successiuè fieri, donec sanetur. Confert quinetiam lachryma sarmentorum vstorum, necnon lac ficus. Pariter cortices rubiæ tinctorum contritæ cum aceto, & superfricatæ tollunt impetiginem,& morphæam album,& omnem fœdum cutis colorem remouent. Mel pariter anacardinum ad antiquam impetiginem efficacissimum est. Theodoricus Recip. succi radicis lapatij acuti quartam vnā, axungiæ suillæ antiquæ dissolutæ lib. semis, argenti viui extincti cum saliua quartam sem. coquatur axungia cum succo vsque ad eius spissitudinem: postea miscendo argentum viuum, & terendo in mortario fiat vnguentum. Henricus verò testatur, quod Medicus quidam Parisiensis curauit serpiginem v. annorum cū hoc vnguento: Recip. seminum iuniperi conquassat. vnc. iv. Coquantur in suf. quantit. aquæ,& colaturæ addantur axungiç suillç reinfusæ colatç vnc. vj. therebint. vnc. j. dissoluantur omnia simul, & dissoluta ab igne deponantur: & cum medicamen infrigidatum fuerit, aquositas expellatur, & vnctuositas fortiter in mortario agitetur, & addendo sulphuris viui vnc. ij. fiat vnguent. Si uerò impetigo vlcerata sit, ualenter exiccantia absque mordicatione conuenientia sunt. Gal. vtebatur medicamine confecto ex sulphure cum terebinthina permixto. Ita mel coctum cum alumine fœcum mixtum inunctum idem præstat, præsertim, si præmittatur lotio cum lixiuio ex cinere ligni caprifici parato. Imo ex Dioscor. traditis cinis ligni caprifici cum aceto acerrimo mistus,& superpositus sæpe sine dubio impetigines pruriginosas sordidasque persanat. Ita lotium mistum cum sulphure easdem vlceratas, ac malignas tollit. Confert quinetiam radix ciclaminis emplastri in modum adhibita. Vel Recip. aluminis, thuris ana partes æqual. puluerizentur & misceantur cum axungia veteri,& argento viuo extincto, & demum addatur succus absynthij, & fiat vnguentum. Quod si vlcerata impetigo diutius protrahatur, hisque non cedat, adhibendæ frictiones cum panno aspero, & sacrificationes profundæ, ita vt plurimus sanguis fluat, & caro vitiosa tollatur: aut hirudines admouendæ, & postea fortia exiccantia sunt applicanda. Quibus non conferentibus, ad caustica medicamina confugiendum est, quæ profundè actionem suam imprimant, & ablata eschara, vsque ad cicatricem inducendam curari debet cum vnguento albo facto ex cera & oleo rosaceo lotis,& simul mistis cum cerussa, camphora, & oui albo: & post cicatricem inductam & curationem, adstringentia roborantiaque admoueantur: quia malum ex facili reuerti solet.

Si malum antiquatū sit. *Gal. 9. simpli.* *Si impetigo vlcerata sit.*

Paronychiæ curatio. *Hippoc. 4. Epid.*

Quo pacto verò paronychia curanda sit, ex dictis de tumoribus inflammatorijs liquet. Id solum animaduertendum, ut in huius mali principio, quia à sanguine bilioso fit, maiori refrigeratione vtamur, & in reprimentibus fluxionemq; sistentibus, ac mitigantibus dolorem validius insistamus. Adhibita itaq; phlebotomia, euacuatione, ac diuersione, victusque ratione calidis materiebus conueniente prçscripta, locus affectus refrigeretur in principio cum aceto puro, aut cum semine psyllij mucilaginato, aut cum gallis,& corticibus granatorum misto. Vnde Hippoc. ut notat etiam Halyabbas, dolorem hunc cum galla viridi, & aceto curabat. Camphora pariter ab Auicenna in hoc malo valde probatur. In augmento,& statu laudatur acetum cum hordei farina, aut cum furfure applicitum. In fine competit oleum rosaceū cum thure & nigella ad malum scilicet discutiendum. Si verò collectionem faciat saniei, maturatio adiuuanda est cum mucilagine psyllij cum aqua & adipe mista, aut cum hoc emplastro; Recip. vitellos ouorum coctorum tres vel quatuor, farinæ fœnigræci,& seminis lini, mucilaginis altheæ ana vnc. j. butyri recentis

centis quartam semis: Incorporentur omnia, & fiat emplastrum. Malo perfectè suppurato, parua, subtilique perforatione aperiatur: & pure euacuato, cum melle, & farina lentium, & lupinorum abstergatur quod reliquum est puris: & postea sarcoticis, in quibus Aloe ceteris omnibus præstat, curetur. Galenus verò in hoc malo probat Paronychiam herbam, ita ab effectu nominatam: Sanat enim paronychias, & fauos, vt refert Dioscorides. Vis enim eius est tenuium partium, & exiccatoria, & morsu vacans. Talia enim sint oportet, quæ paronychias sanant. quod quidem intelligendum est dum scilicet malum est in fine, & discutientibus eget. Inter composita verò medicamina mirum in modum laudatur à Gal. quod Rec. argenti spumæ, chrysitidis minam, ceræ tantundem, chamæleontis nigri radicis drac. xxxvj. æruginis rasæ drac. xviij. chrysocollæ drac. xl. olei veteris hæminas iij. argenti spuma cum oleo igne non acri coquitur, donec efferuescere inceperit: deinde ærugo inspergitur, cacabo deposito, atque iterum reposito, emplastrum promouetur, donec proprium colorem receperit: postea cera: quæ vbi bene se habuerint, chrysocollam & chamæleonem assumunt. Demisso iam in mortarium acetum superfunditur. Et hoc emplastrum curat etiam vlcera vix cicatricem ducentia, & eo melius non extat. Si verò vnguis carnem pungeret, abscindatur. Si verò vlcus superueniat, cum trochiscis asphodelorum, aut, vt consulit Guido, cum arsenico desiccetur. Sin os corruptum sit, discooperiatur: & os cum ferro calido cauterizetur: quia cauterium vtilissimum est. Si gangræna superueniat, scarificetur, & reliqua ipsius curatione malum tollatur. Et si corruptio depascens ad digitum ascendat, ita vt eius deperditio timeatur, incidatur, & cauterizetur. In quacunque autem dispositione ad materiam intercipiendam, loca omnia circa digitum, & manum cum oleo rosaceo, aut vnguento de bolo Armeno inungantur. Auicennas dolorem mitigabat cum opio: sed si mucilago psyllij cum eo misceatur, pharmacum perfectum euadit. Alij tamen ad hoc vnguento huiuscemodi vtuntur: ℞. olei rosat. vnc. j. opij, hyoscyami ana vnc. j. seminis apij vnc. semis, aceti drach. ij. Terendo fiat vnguentum. Omnia autem auxilia, & medicamenta cum suaui panno, & absque dolore admoueantur: quia dolor in hoc malo causam superat, & ad se se curationem trahit. Gal. ad paronychias aurium sordem probare quoque visus est. Vnguiũ porro scissuras aqua foliorum cynoglossæ, quam linguam canis vocant, folia apposita mirifice sanat. Ad contractionem verò, & diminutionem vnguium lini semen vtilissimm est. Vngues verò commotos, vt Rases scriptum reliquit, caro vuarum passarum emplastri in modum applicita citissimè euellit. Similiter, vt scribit Serapio, radix chelidoniæ minoris vnguem leprosum euellit, & albores vnguium abijcit. Ad idem valet emplastrum ex cera, pice, & sale. Eradicato autem vngue, oportet, vt digiti extremitas aliqua cautela ex corio, vel simili re custodiatur, quæ ipsum ab aeris frigidi, & externarum rerum incursu tueatur, ad hoc ut pulcher, & bonus vnguis oriatur, & crescat. Qui verò vnguem nimis mollem, plicabilemque curare cupit, exsiccantia superponat, veluti sunt colophonia, & alumen cum oleo lentiscino, aut alumen, sal, & sandaraca cum oleo myrtino. Quod si contingat post paronychias, aut alia de causa, carnem excrescere in vnguium lateribus (talem affectum Paul. pterygium vocat, & deinde dolorem subsequi, stercus ouillum superpositum tollit eam: alij laudant lac tithymali. Colophonia verò, & sepum caprinum æquis ponderibus mista, & vngui malo leproso superposita malum tollunt, & bonum adducunt.

Gal. 8. simp.

Gal. 2. de cõpo. per gen. c. 10.

Gal. 16. simpt. in fine.

Ad alias vnguium affectiones.

Victus ratio.

De victus verò ratione, quæ in Impetigine congrua est, nil aliud dicendum, quia eadem prorsus esse debet, quæ in scabie, & præsertim sicca fuit proposita. Egent enim laborantes optimi succi alimentis, frequentique dulcis aquæ balneo, quia humoris acrimoniam contemperat, eumque dissoluit, fugiendaque sunt omnia, quæ in scabie fugienda esse diximus. Victus similiter ratio in Paronychia conueniens ex curatione calidorum tumorum cum dolore, petenda est.



De Pu-

De Pustulis aquosis, & de sudationibus. Cap. XIII.



QVANDOQVIDEM de pustulis, quæ à salsa adustaque pituita proueniunt, in sermone de scabie disseruimus, reliquum est, vt ad eas accedamus, quæ ab aquoso, serosove fiunt humore, qui quidem in pituitosorum excrementorum numero communiter recensetur: & subinde de sudationibus agamus, quas Græci ob id hydroas, id est sudationes, alij desudationes appellant. Sunt enim aquosæ exiguæque pustulæ, quæ quidem repentè, sparsimque toto corpore emergunt; sed frequentius in manibus, pedibusque milij magnitudine aqua plena, sine rubore, & sine vllo dolore. Fiunt enim ex sudoribus sub epidermide coercitis, per cuius spiracula ij digeri minimè possunt: Vnde à quibusdam sudorum quoque Papulæ nuncupantur. Dum enim sudoris materia ad cutim propellitur, tenuiori eius parte exhalata, crassior sub cuticula detinetur, & paruulas illas creans pustulas, ipsam exasperat. Nonnunquam etiam desudatio ex biliofo, vel sanguineo fit vapore à massa ipsa sanguinea eleuato, dum scilicet propter ambientis caliditatem, vel propter vehementem exercitationem, aut consimilem causam calfacientem, laboriosamve in tenues venarum succos agentem, tenuiores ipsi humores funduntur, & in vaporem soluti ad cutim ipsam pelluntur, vel trahuntur. Id autem ijs potissimum accidit membris, in quibus, vt notat Auicennas, sudor copiosus excitatur, & sicuti decet, aut homo consueuerat, non abluuntur, aut prope ablutionem parcè, & minus quam par est, fricantur. Interdum verò paruis pustulis non apparentibus sola cutis asperitas exoritur. Sicuti verò dum malum à seroso, aquosoque prouenit excremento, tum rubor, tum dolor prorsus abest, & albidus potius color adest: ita dum à vapore biliofo malum oritur, aut sanguineo, paruæ pustulæ rubræ & citrinæ, cum aliquo ardore, dolore, pruritque prorumpunt. Quandoque autem desudatio exulcerationem parit. Quinimo, vt ait Rases, vlcera, quæ malum hoc consequuntur, mala sunt. Cum tamen affectio hæc sui natura parui momenti existat, plerique auctores de Phlebotomia ne verbum quidem faciunt, &, cum pustulæ hæ absque medici auxilio sæpissimè delitescant, paucis de purgatione, pro ipsarum scilicet curatione pertractant. id tamen animaduertunt, ut pro præseruatione ab ijs pustulis, ij, qui corripi solent, singulo anno, antequam statutum tempus adueniat, aut verno tempore, rubra bilis cholagogis dictis pharmacis expurgetur. Ea enim cum vehiculi vicem gerat, est in causa, vt excrementa hæc ad cutim ipsam deducantur, & parua corporis spiramenta vsque ad epidermidem permeent. Eadem quoque medicamenta bilem purgantia pro curatione præstantissima sunt. Similiter auxilia inquit Rhases, quæ huiusmodi malum tum curare, tum arcere valent, sunt balneationes, abstersionesque, & omnes aquæ, in quibus stiptica incoquuntur, veluti sunt myrtus, & rosæ. Quæ etiam sicca affricari possunt, & frigida deinde ablui. Similiter probantur inunctiones ex oleo myrtino, ac rosaceo. Alij oleo rosaceo gallam, & acetum addunt, linimentumque conficiunt: & post diem vnum ab huius medicamēti vsu, & illinitione, lotionem admouent cum aqua infusionis rosarum, sandalorum, & similium. Rhases verò locum affectum cum carne melonum, & hordeacea farina fricabat. Auicennas post vsum balnei, & post sudorem fricatione ex eadem carne melonum, & lentium, fabarumve farina simul mistis vtitur. Alij locum inungunt oleo rosaceo conquassato cum aqua rosacea, & pauco aceto. Probatur quoque balneum in aqua decoctionis foliorum salicis, rosarum, & florū chamæmeli. Vnguentum autem ex lilij radice fero inunctum nedum sudationes, verum etiam scissuras, & cutis maculas tum curare, tum arcere potest. Mane verò cum aqua decoctionis rosarum, & violarum admouetur. Ita autem paratur: ℞. radicis lilij in aqua decoctæ, & optimè tritæ vnc. j. incorporentur cum vnc. j. axungiæ recentis liquefactæ, & colacum vnc. j. aquæ rosaceæ, deinde superaddantur cerussæ pulverizatæ drac. ij. pulueris mastiches, & olibani ana drach. sem. camphoræ drac. j. & optimè incorporentur. Si verò vlcera subsequantur, ijsdem auxilijs, vt vnguento de cerussa, & alijs curentur, quæ ad ambusta in sermone de vulneribus cōuenire diximus.

Nomen. Natura. Causæ, & differentiæ. Signa. Prognostica. Curatio, & præseruatio. Purgantia. Topica.

Victus ratio. diximus. Qua verò victus ratione sit vtendum, ex huius mali natura facilè claret. Oportet enim aerem calidum euitare; & frigidum, flabellationesque, & id genus alia refrigerantia, & quæ sudorem prohibent, eligere. Item omnia, quæ bilem gignunt, & excrementa ad cutaneas partes deducunt, fugienda sunt. Rases insuper in sudationibus aqua granatorum acidorum cum psyllij mucilagine in potu propinabat, in ciboque lenticulas excorticatas, & similia edulia offerebat.

De Pustulis melancholicis, & primum de Lepra. Cap. XIIII.



ELANCHOLICARVM pustularum species, siue differentiæ potissimæ quatuor sunt, nempe scabies sicca, de qua superius diximus, & sub qua Psora Græcorum continetur, Lepra Græcorum, Verrucæ, & Calli. Cum itaque affectio illa, quæ & Græcis ipsis & communiter Lepra nũcupatur, scabiei maximè affinis, congeneaque sit, de ipsa in præsenti capite; de Verrucis autem, & Callis in sequenti pertractabimus. Nomen. Verum ne propter nominis ambiguitatem decipiamur, animaduertendum nos per lepram eam affectionem intelligere, quæ quidem non morbus est, sed de genere pustularum, & symptomatum existit: & proinde non quidem Arabum, sed Græcorum lepram audiri volumus. Quod dictum sit, quia Arabes, ut apud ipsos, necnon apud Guidonem de Cauliaco, Nicolaum Florent. & alios eorum expositores videre est, per Lepram nil aliud intelligunt præter Elephantem, siue Elephantiasim, quæ non symptoma, sed morbus, & in summa, vt suo loco cum Gal. declarauimus, totius corporis, seu communis cancer est, & ab atra bile, siue exusto humore, eoque uenenato aut corrupto ortum ducit. Græci verò per lepram affectum illum significant, qui de genere pustularum, & symptomatum ad totius corporis cutem spectantium existit, & ab Auicenna & alijs ex Arabum familia Albaras nigra, à Celso Impetigo vocitatur (Celsus enim ait Impetiginem suam vngues infestare) & ab humore melancholico prædominante, sed cum aliqua viscidæ & crassæ pituitæ portione commixto, non tamen corrupto, aut maligna, venenatave qualitate infecto proficiscitur. Qui quidem humor solas cutaneas partes inuadit, & subinde pustulosas efficit, non autem subiectam carnem; ut in elephante ipso contingit. Natura. Græcorum itaque Lepra à scabie ipsa sicca, & eorundem Græcorum Psora parum distat: quia, vti Galenus, Paulus, & Oribasius testati sunt, eandem fere cum scabie sicca materiam habet, sed omnium scabiosorum, & impetiginosorũ affectuum species quędam sanè deterrima est. Ea enim cutem vehementer rodit, altè depascit, atque findit, ex qua non solum furfures, verum & squamulæ decidunt, modo pallidæ, modo subnigræ: & quia nullis cedit remedijs, de eius curatione vulgus D. O. M. implorare solet. Ob id Paulus affectum hunc describens, cutis asperitatem cum pruritu, & corporis colliquatione esse ait, ex humore melancholico ortum, qui quidem profundas cutis partes orbiculatim depascit, atq; piscium instar squamulas ex sese emittit. Nascitur enim ex humore melancholico, cui tamen, vt alij rectè tradunt, etiam crassæ lentæq; pituitæ salsæ quiddam sit admistum: hinc non epidermidem solum, verum etiam totam cutim præhendit, ac obsidet. Quodcunque verò lepra aut psora inquinatum sit corpus propter alimenti vitium sensim tabescit, & absumitur. Causa contentiua, & antecedens. Fieri autem lepram à succo melancholico, & veluti quandam scabiem esse, sed omnium deterrimam, Gal. omnesque Græci fatentur; sed præter succum melancholicum prædominantem, crassum, & viscidum, eumque salsum locum habere scripsit Archigenes. Quod etiam visus est sensisse Gal. dum scribebat lepram, & scabiem fieri ex humore multo, crasso, salso, & immoto: quod est perinde, ac si diceret vnà cum succo melancholico, in lepra, salsam, & crassam pituitam commisceri; quod ratione quoque superius adducta comprobari potest. Ab humore atrabilari quo pacto diuersi fiant affectus præter naturam. nam totam cutim peruadit, valide persistit, ac rebellis omnino est, quia propter lentorem pertinaciter hœret, & squamas latiores, quam si à solo terrestri foret humore, qui facilè in minutissimas partes friatur, emittit. Mirum autem esse non debet, si à nigro, & melancholico succo diuersi præter naturam producuntur affectus. Ab eo siquidem pro ipsius, & loci, in quo consistit, diuersitate, modo quartana febris intermittens,

Auic. lib. 4. F. 3. tr. 3. cap. 1. Guid. trac. 6. doc. 1. c. 2. Nicol. Flor. tr. 5. sum. 1. serm. 7. c. 40. Auic. 7. 4. tr. 2. c. 9.

Gal. 3. de alimen. facul. c. 2. de sympt. caus. 6. Galen. 1. de symp. cau. 6.

tens,

tens,modo quartana continua,interdum arquatus niger,nonnunquam melancholia vocata passio,siue melancholicum delirium,aliquando lepra,nonnunquam elephas generatur. Si enim succus hic niger in venis chyli,& in hypochondrijs,& lienis regione putrefiat, oritur quartana febris periodica; si putrefcat in uenis superioribus, quæ sanguinem putum continere solent,quartana fit continua: Si idem melancholicus humor cum sanguine exactè mixtus,& ad minimas partes redactus per vniuersum corporis habitum & ambitum deferatur,non tamen putrefcat, cutē inficit, & nigrum arquatum inducit. Si in venis ad habitum corporis præsertim spectantibus aggregatus fit,& propter capitis, & cerebri imbecillitatem, vel idem humor,vel vapor ab eo eleuatus cerebrum conscendat,& animales spiritus obtenebret, delirium creat melancholicum. Sin uerò propter internorum viscerum robur,& cutanearum partium laxitatem, & imbecillitatem, & totius habitus corporis texturæ raritatem, viarumque promptitudinem ad cutim ipsam à reliquo sanguine secretus, crassæ, ac salsæ pituitæ mistus assiduo, sicuti gignitur, ac colligitur, deferatur, scabiosos affectus,& Græcorum lepram gignit. Si malignam, & venenatam qualitatem contrahat,& non solam cutim sed subiectas quoque musculorū carnes inuadat, ac vitiet, elephantem procreat: hincque fit, vt tractu temporis lepra in elephantem degenerare possit,eò, quia succus ater vitiosam, malignamque qualitatem suscipere potest: sicuti è conuerso dum virulentam hanc exuit qualitatem, quod ope medicamentorum fieri potest, vti in sermone de Cancro ex Galeni auctoritate aperuimus,Elephantiasis in lepram potest abire. Quantum attinet ad causas,quæ succum melancholicum multiplicant,de his non est,ut pluribus loquamur,cum alibi,& præsertim in sermone de melancholia, & de quartana febre exactè fuerint declaratæ. Quilibet enim succus in venis existens, siue sit sangnis, siue pituita,siue bilis,vel propter adurentem calorem,& tenuiores partes resoluentem, vel propter incrassantem & congelantem frigiditatem mnlancholicus effici potest, siue id ab internis, siue externis causis fieri contingat. Vt plurimum autem propter causas internas, easque calfacientes, & potissimum propter nimiam iecoris caliditatem & siccitatem, ratione cuius sanguis aduritur,melancholicus succus copiosus in corpore generatur. Similiter lienis vitio, vbi viscus hoc vel propter obstructionem succum melancholicum in iecore genitum non recipit, vel propter imbecillitatem,& vitiosum temperamentum ipsum vti decet, non attrahit,& à sanguine expurgat,idem melancholicus humor in corpore cumulatur,præsertim si viscera nobilia,& principalia,eò,quia languidiora sint,ipsum extra corpus per venas vel hæmorrhoidales, vel uaricosas, quæ in cruribus turgere solent, vel menstruales & vterum ipsum, expellere non valent; vel etiam quia venæ hæ angustia aliqua, obstructionibusque correptæ sint. Multiplicatur quin etiam melancholicus humor propter causas externas,inter quas primatum tenent alimenta ad hunc succum gignendum idonea, veluti sunt panis ex minutis granis, segetibusque, panis azymus,legumina quæcunque,sed præsertim lentes,pisces saliti, caro salita, caseusque salitus, carnes omnes crassorum succorum ,animaliumque, vti sunt vaccina,caprina,asinina,vrsina,ceruina,& præcipuè suilla granulis infecta. ita lac ipsum à Leprosa nutrice exhibitum infantem leprosum efficit. Idem facit, melancholicumque succum creat vinum nigrum, crassum, turbidum, aut corruptum. Cibi etiam pituitosi,dum quis ipsis vsque ad saturitatem nimiam vtatur,necnon nimia repletio, & cruditas, dum calidiori iecori occurrunt, tenuioribus partibus ab eius caliditate resolutis,& reliquijs adustis in melancholiam migrant. Quod etiam euenit ratione ciborum,qui calidiores sunt, quorum vi humores alioquin boni, & inculpati aduruntur, vti sunt allia (præcipuè si quis biliosi temperamenti eis vescatur) sinapis,nasturtium,eruca, piper,& similia. Monet etiam Auicennas ad generationem huius vitij magnam vim habere vsum frequentem ciperi,& multū vsum lactis vnà cum piscibus assumptum, necnon vinum, & lac simul bibita, & frequenter copioseque hausta, qui etiam voluit lac cum rebus acetosis edendum non esse, neque pisces cum lacte: quia exinde oriuntur lepræ, & id genus alia vitia melancholica. Idem dicendum de reliquis externis causis nimirum calorificis succos adurentibus, & incrassantibus. Vnde aer valde calidus succum hunc multiplicat: Et ob id scribebat Gal.in Alexādria plurimos leprosos, & elephanticos adinueniri,propter regionis caliditatem;in Germania,& frigidis regionibus paucos.Potest quoque contrahi lepra in vtero matris, cum scilicet vt quidam tradunt, conceptio fit fluentibus menstruis, vel ante perfectam ipsorum expurgationem: præsertim vbi

Causæ remotæ. Internæ. Materiales. Generātes. Colligētes. Externæ. Galen. 2. ad Glauc.

vbi menstruus sanguis fluens plurima succi melancholici copia inquinatus est. Idē contingit, cum quis cum muliere leprosa coit, aut cum ea, cum qua paulo ante leprosus coierat. imò vir à dictis vel consimilibus causis magis inficitur, quam mulier, propter viri caliditatem, & apertionem meatus organi genitalis, per quē praui vapores ad iecur, & corpus facile eleuantur. Malum autem hoc hæreditarium quoq; esse omnes fatentur: Quinimo, vt scribit Auer. maior leprosorum pars ab hæreditate contingit. Quocirca lepra, vti etiam Elephas, à generationis primordijs tribus modis contrahi potest: primo quando malum oritur hæreditario iure à parentibus ambobus leprosis, vel altero ipsorum duntaxat: secundo propter embryonis temperamentum, quod scilicet tale ei tributum est, & huic malo obnoxiū, non tamen ex parentibus contractum: & tertiò ex temperatura, quæ non propriè, & per se fœtui tributa sit; sed sit in vtero acquisita, propter conceptionem tempore fluentium menstruorum subsequutam: Duos tamen primos modo in causarum internarum; tertium in externarum numero locare possumus. Demū inter causas externas Contagium ab auctoribus recensetur: Vnde scribebat Auic. quod nonnunquam & contagione aeris putrefacti, & ob viciniam leprosorum (præsertim dū in locis degunt coarctatis, ac minimè ab aere perflatis) malum acquiritur. Quod ēt confirmat Auenzoar. Neq; obstat Tralliani sententia, quia ipse per Leprā nil aliud intelligit, nisi leucē siue alphū nigrū, à quo nihil prorsus emanat, vt cuius cōtagiū oriri possit. In lepra verò, de qua sermo est, semper aliquid humoris emanat. Dum verò Aristoteles ait lepram contagiosam non esse, ita intelligendus est, vt uoluerit lepram minus contagiosam esse, quam sit Græcorum Psora: quia lepra à materia magis sicca, terrestrioriq; oritur. Differentiæ huius mali à causis iam dictis præsertim sumuntur. Cognoscitur autem ex eo, quod squamas emittit, & sudor prosiliens fœtidus est, & cutis adest asperitas cum pruritu, & colliquatione: & alia adsunt, quę in eius naturæ descriptione superius tradidimus. Ea propter ex sententia Archigenis, ita Aetio referente, distinguitur Lepra Græcorum, à Leuce, & Alpho, quæ sunt vitiliginis species, eò, quia Lepra ad contactum aspera est, ac pruritum inducit. nā cutis sola affecta est, & ea excoriata caro subiecta sana apparet. Amplius ex Hippo. statutis in lepra cutis crassa est eò, quia crasso, ac viscido humore imbibita est. In Leuce verò non adest asperitas, non adest pruritus, & si cutis ipsa auferatur, tota subiecta caro commaculata videtur: albidior enim est, & si confricetur vel ipsa cutis, uel etiam caro, statim rubedinem quandam contrahit, præsertim si curabilis sit. Alphi verò & ipsi sunt sine pruritu, sine asperitate; quanquam appareant maculæ, quæ valde squamulas æmulantur. Similiter, vt ait Archigenes, differt Lepra à Scabie: quia ab hac interdum furfuracea corpuscula emanant; in illa verò veluti quædam magnorum piscium squamæ. Videntur enim in lepra corpora desquamari. Cur autem hoc malum ipsos potissimum senes præhendat, in sermone de pruritu declarauimus. Ex dictis verò apertissimum est, Lepram ægerrimè curari, ita, vt nullis fere cedat remedijs: Eæ tamen lepræ, vt testis est Hippoc. minus difficulter sanantur, quæ fiunt in iuuenibus, & quæ recentissimæ sunt, ac in mollissimis, ac carnosissimis corporis partibus generantur. Quemadmodum autem scabies in leprā, ita lepra, vti superius diximus, in elephantiasin permutari solet. Similiter Lepra, quæcunque sit, tabem, & corporis absumptionem, dum perdurat, accersit de necessitate. Scribit autem Auenzoar, quod lepra, & elephantiasis, quæ ab ortu, & generationis principijs contracta est, medicinarum merito nullatenus curari potest, nisi sanitas fiat tempore crisis annorum, quod natura ordinauit. Quod quidem ēt Auerr. experientia cōprobauit. De scopis aūt, & curatione huius mali pauca omnino subnectenda sunt: quia ex traditis de pruritu, & scabie sicca omnia tanquam clarissima supponenda sunt. Post totius enim corporis euacuationem, exactamq; ab humore melancholico expurgationē, ad Topica pharmaca descendendū, de quorū facultate & vi uerba faciens Gal. Consilium inquit in hoc affectu est cutis induratā summā partē veluti deglubere. id quod ea faciunt, quæ præterquam quod supra modum siccant, ēt detergent. Nam si cutis vitium in naturalem habitum redire possit, nemo exiccatam supra modum siccaret. Quoniam verò quod leprosum iam est curationem nullam habet, proximū fuerit (qui in omnibus insanabilibus scopus cōis est) incurabilē partē ex corpore exscindere. Excinduntur aūt nonnunquā ferro, interdū igni, nonnunquā medicamento, vel adurentibus, vel digerentibus simul, & detergētibus, quale est diabotanon, idest ex herbis, Critonis medicamētū, de quo post dicemus. Et hic sermo, subdit Gal. omnis lepræ cōis est. Quantū spectat ad præsidiorū mate-

Auerr. 3. collect. c. 7.

Auic. 3. 4. tr. 3. c. 1.

Auenzoar lib. 2. tr. 7. c. 12.

Aristote. 7. prob. vl. sect.

Differētiæ.

Signa.

Aet. lib. 14. cap. 134.

Hipp. 5. Ep. circa princ.

Archig. loc. cit.

Prognostica.

Gal. 6. de cōpo. per gene. c. 2. post prin.

Curatio.

materias, eædem prorsus administrandæ sunt, quæ in scabie, & pruritu, & potissimum in scabie melancholica, & sicca, & alijs id genus scabiosis pustulis fuere proposita; sed valentiora; prout lepra etiam malum est deterius, & longè magis pertinax scabie ipsa. In venæ autem sectione illud adnotandum, quod, dum præsto sunt hoc remedium indicantia, & vires valent, iecoraria potius aperiatur, & ampliori effecto foramine (vt melancholicus sanguis egredi possit) sanguis pro maiori refrigeratione, vnica vice educatur. Reliqua omnia ad hirudines, quæ hæmorrhoidibus admouentur, & scarificatas cucurbitulas, & cornua partibus cutaneis applicanda, spectantia ex dictis in citatis capitibus supponenda sunt. Quidam verò in leprosis affectibus venas, quæ sub lingua sunt, maximo laborantiū iuuamento, aperiri, & sanguinem, absq; vlla virium iactura, in magna copia educi iubent. Medicamenta, quæ vniuersum corpus expurgant, siue lenientia, siue præparantia, siue purgantia, eadē esse debent, quæ in melancholica, siccaq; scabie tradita fuere. Eapropter Auic. præsente sanguinis copia, curationem à phlebotomia exordiebatur, & melancholicū, & adustum humorem exinde euacuabat cum decoctione epithymi, agarici, myrobalanorum nigrorum, polypodij, stœchados, passularum, fructuumq;, vt ipse ait, solubilium. Eorūdem humorum purgationi valde opitulatur, vt idem inquit, lapis Armenus, & lapis Lazuli, & elleborus niger, & hiera Logodion, & hiera Rufi, & cō similia. Sed præ cęteris omnibus tanquam præstantissimum remedium probatur, vt singula die drach. j. epithymi vnà cum lib. j. seri lactis potanda exhibeatur. Post exactam verò totius corporis expurgationem, mirum in modum probatur vsus eorū, quæ iecur ipsum refrigerant, nedum extrinsecus iecoris regioni applicita, verum ēt potissimum intus assumpta, veluti sunt aquæ Lucenses siue Villenses nuncupatæ, præsertim vbi ventriculi imbecillitas adsit; necnon aquæ Virginis Parauinæ, aut ēt, vbi vētriculi robur, nullaq; lienis obstructio, aut imbecillitas adsit, Calderianæ, quę in agro Veronensi scaturiunt. Nos nō semel, aut bis, sed pluries lepram curauimus sero lactis caprini ad lib. j. aut plurimū duas, ne ventriculus læderetur, in potu exhibito; sed in primo cyatho vnc. ij. & iij. succi depurati cichorij permiscere oportet, & ita per triginta, aut ēt plures dies exhibere. Gal. ad tollendū iecoris ardorē, ad opiata quoq; sed in pauca, & debita dosi, & semel tantum exhibita confugiebat: Sed ut tum hæc, tum alia, quæ congrua sunt, rectè exhibeantur ad tractatum de Iecoris intemperie in secundo libro recurrēdum est. Præter aquam Villensem, in potu quoque laudatur balneum Reginę nuncupatum, quod quidem in Pisanorum balneo rū numero recensetur. Idem balneum Reginæ, vt viri quidam illustres testimonium perhibent, ēt in Insessione ad fugandam lepram mirum in modum extollitur. Sed inter balnea Volaterrana adest balneū S. Michaelis, quod quidem in cutaneis affectibus adeo præstans est, vt, præcipuè ad leprā ipsam profligandam, præstantius remedium excogitari non possit. Aquarum ēt Aponensium insessiones in scabie salsa, pruriginosa, leprosaq; maximè conferre solent. Gal. inter Topica medicamina, quæ extrinsecus leprosis adhibentur probat Emplastrum diabotanon Critonis. nedū. n. ait carcinomata, putredines, & strumas tollit, & ad suppurationē perducit, & exprimit, verum ēt lepras amouet, furunculos soluit, podagricis prodest, & callosas durities emollit, & in vulneribus capitis sine perforatione squamas tollit, & ossa educit, & ad neruorum vulnera, & ad nomas linamento exceptum valet: ℞. autem herbarum ex siccis locis maritimis, anagallidis, quæ cęruleū florē habet, papaueris ceratidis, marrubij, alterci foliorū tenerorum singulorum denarium pōdo lxj. hæc in mortarium coniecta teruntur, donec contusa sint, ac dissoluta duntaxat, ne eorū succus absumatur, postea iniecta in mortarium terantur: In alio autē mortario habentur squamæ æris rubri denarij xxvj. mannæ denarij viij. alij xx. resinæ pityinæ siccæ denarij xvj. aloes totidem, fissi aluminis denarij iv. rotundi totidem: hæc in Sole læuigantur, vt sordium crassitudinem cum aceto habeant: deinde herbæ mistæ, donec probè coeant, teruntur: postea ceratum facito ex Chiæ ceræ denarijs centū, secundum alios mina, olei veteris hæminis duabus: radito, & misceto. Quidam verò duas anagallidas immittunt: Aliqui & chrysocollæ, & terræ erethriadis, & salis ammoniaci, & auripigmenti, & scissilis singul. denar. iv. Amplius idem Galen. ad huius mali pertinaciam respiciens, cantharidas quoque facultatibus psoris, & lepris congruentibus, necnon quibusdā septis, atque interim etiam ijs, quæ clauos, quos vocant, eijciunt, & eas totas, id est, vnà cum alis & pedibus, immittebat. Sunt aūt parādæ, & interficiendæ eo modo, quam in earum sermone idem Gal. docet. Rases ℞. cantharidas, & rubeam tinctorum, & terendo in aceto, addit eis lepidium, quod

Chirurgia.

Medicamēta.

Purgantia.

Alterantia.

Topica.

Gal. 6. de cōpo. med. per gen. c. 2.

Gal. 11. sim. fer. de canth.

ab alijs

ab alijs iberis nuncupatur,& illinitionem efficit. Oribasius verò ℞.nigellam, spumam maris, sulphur, arsenicum rub. rubeam tinctorum, gingiber, lepidium, & cantharidas,& omnia cum aceto terit,& illinitionem efficit, post quam factam locum discoopertum dimittit. Nonnulli illinunt affecta loca cum theriace, & hiera Logodion,& aqua cantabri;idque frequenter faciunt,& perfectè sanantur. Alij terunt sal Ammoniacum cum oleo ouorum,& inquiunt,quod si quinquies loca illinantur,affectus tollitur:hocq; Auicen.ipse confirmat. Paulus iubet fieri illinitionē cum luto rufo carpentarij (sinopiam vocant) dissoluto cum aceto,aut melle. Mesues accipiebat radicem cucumeris asinini,& cum aceto forti subactam superfricabat. Lepram enim & morpheam tollit. Idem facit puluis cornu vaccæ cum aceto mixtus. Sed inter cetera stercus merulorum,vel turdorum vt quidam aiunt,cū aceto distemperatum,& illinitum morpheam nigram, lepramve, necnon lentigines, & impetigines,& omnes faciei maculas, & pustulas tollit. Vulpis quoq; stercus cū aceto tritum,necnon sanguis hircinus,si illinantur,ut etiam Diosc.affirmat,lepram tollunt. Si quis verò plura desiderat,legat ea, quæ in cura scabiei sicca scripta sunt, & ea,quæ in curatione Leucæ,& Vitigilinis infra proponentur.nam præsidia topica,quæ in omnibus his vitijs conueniunt,eiusdem ferè sunt generis: quia vel vehementer detergunt,uel fortiter digerunt,discutiuntque;vel, vbi opus sit,non modo vehementer attrahunt,verum etiam vesicant,adurunt,& vlcerant. Ex his verò quæ intus sumuntur, Gal. viperinam carnem probare uidetur, tanquam exiccatoriam, & valenter digerentem,mediocriter verò excalfacientem. Properat enim,vt videtur vis eius ad cutim,per eam videlicet, quæ in corpore sunt, recrementa exigens. Quibus ergo affatim est mali succi in corpore,ijs ingens prouenit pediculorum numerus, & à cute ceu squama abscedit,ac decidit extima cutis, quam Græci epidermidem vocant,ad quam sistuntur,ac retinentur crassi,terrosiq; humores ad cutem protrusi,à quibus quidem psoræ, lepræ, & elephantes nascuntur. Quidam verò ad lepram fugandam,Britannicam herbam in cibo,vel potu exhibent. Victus ratio ex dictis in scabie sicca clara est. Vtendum enim totius corporis humectatione tum balneo,tum potu vini tenuis cum aqua copiosa.Et reliqua victus ratio omnis sit humectans cum cibis boni succi,ita,ut sanguis humidus omnino generetur. Vnde vtēdum his,quæ iecur impinguare,concoctionemque corroborare valeant:presertim si virtus sanguificatrix langueat. Tunc enim vt aiunt Arabes,in ijs insistendum est, quæ aromatica sunt,& iecur ipsum roborant,& vim aperiendi habeant cū aliquali amaritudine. Vnde Auicennas probat administrationem tripherarum factarum cum epithymo. Vel Rec.mirobal.nigrorum,thuris albi,gingiberis ana partes equales;conficiantur cum melle pussularum,& sumatur ex eo quolibet die. Optimum enim est, vt aluus lubrica seruetur,sed præsertim ijs, quæ succum melancholicum subducunt, & viscera nutritioni dicata, iecurque præsertim corroborant.

Intus assūpta. — *Gal. 11. sim. ferm. de viperis.* — *Victus ratio.*

De Verrucis, Clauo, & Callo. Cap. XV.



ERRVCAE, quæ ex omnium sententia sunt pustulę paruæ,valde duræ, ac rotundæ in corporis superficie, ac potissimum in manibus,ac digitis exortę,& ipsæ ex crasso & melancholico succo, & à salsa pituita in melancholiā conuersa generantur. Halyabbas tamen voluit ipsas à duobus humoribus creari,à pituitoso nempe, & melancholico induratis,& minimè putrefactis. Verrucarum autem species, ut ex Galen.colligere licet,plures sunt. Nam verruca pensilis, quæ acrochordon Græcis dicitur, parte quidem summa latior est; ima verò,quæ ad cutem est,tenuior,qua quasi pendiculo innititur. Exquisite autem dura est,& aspera,& cuti concolor. Altera thymium dicta,& colore thymi florē repræsentans ad cutē ēt tenuis est,in summo lata,dura,& aspera,pensili minor. Hæ aūt verrucæ rarò solitariæ,sæpius verò complures proueniunt,maximè in palmis,pedibusq; puerorū. Plerumq; inopinatè apparent,atq; ēt nōnunquā subitò disparent. Verruca sessilis, quæ Græcis est myrmecia, humilior est thymio,lupino vix vnquā maior,dura,stabilis,latiore basi,radices altè exigens dolorē ciet. Clauus, vt sessilis verruca,in cute eminet,albus,rotundus,callosus,parte summa clauorū capiti similis, sed prædura solidaque radice intrò se infigens, quasi ex ossiū mēbranis

Causa. — *Differētia.* — *Acrochordon; pensilis dicta.* — *Thymium.* — *Myrmecia, sessilis dicta.* — *Clauus.*

emergat,& expullulet. Is verò si recuruus sit cornu à nõnullis dicitur. In digitis verò plantisque pedum ex calcei pressu, aut intertrigine nasci solet: acuto interdum dolore sponte feriens, semper verò ingredienti molestus. Callus colore, atq; substantia clauo similis, obdurata est summa cutis ex labore, in palmis, aut in inferioribus pedum plantis succrescens. Nullam tamen radicem alte demittit, ac proinde prorsus est doloris expers. Ex quibus facilimum est hæc omnia cognoscere, & inuicem, ab alijsque pustulis distinguere. Id autem penes præsagia animaduertunt, quod ad magnas verrucas solent sequi paruæ, eò, quia ab affecta parte propter magnam verrucam in proprio temperamento vitiata, alimentum sibi delatum in melancholicum conuertitur, & vitiosum euadens alias verrucas creat. Cum autem verrucæ, & calli à toto genere præter naturam sint, propterea ex Galen. decreto, sui ablationem indicant. Communiori enim indicationi, quæ per omnia, quæ totis substantijs à naturæ habitu recesserunt, extenditur, subijciuntur. Huius certè generis est, & quæ Myrmecia Græcè vocatur, & quæ Acrochordon, & reliqua verrucarum genera, necnon callus ipse, vt liquido constat. Omnia namque talia submouere in totum properamus. Quotiescunque autem verrucæ inquit Rases excelsæ fuerint, & abundantes, nedum probatur phlebotomia, verũ etiam melancholici succi purgatio, vt etiam confirmat Auicennas. Quamuis enim verrucarum genera exigua sint mole, attamen fœda sunt, atq; plerumq; molesta, præsertim si longiora, ac copiosiora fuerint. Possumus autem verrucas ipsas aut chirurgicis vel consimilibus præsidijs euellere, & prorsus abscindere: vel medicamentis auferre. Quantum attinet ad auxilia à medicamentis diuersa, Gal. scribit, quendam fuisse suis temporibus, qui Romæ excogitauit, quo pacto acrochordonas, & myrmecias ore sanaret. Verum de prioribus, vt pote à cute extantibus minus est mirum, ait ipse; de myrmecijs verò potissimum, quæ cum summa cute prorsus sunt æquales, mirum videbatur. Veruntamen has quoq; primum labiorum applicatione, ceu suctu, ad se trahebat, atq; à radice euellebat: deinde primoribus appræhensam dentibus totã simul eximebat. Sed & scalpro ad myrtacei folij speciẽ formato, & ferramento eo, quod scolopomachærion Græci vocant, quispiam manibus exercitatus facile eas excidat: cum proprijs linamentis à circumposita cute circumscripta discernantur. Aequè verò & valente aliqua pinna circulo myrmeciæ imposita ipsam educimus. Debebit porro pinnæ fistula esse myrmeciæ crassitudini par, vt eam vndique prorsus constringat. Quæ postea circumacta, ac simul deorsum impulsa, celerrimè ita myrmeciam etiam cum ipsa radice totam educet. Constat verò & quod finis ipse pinnæ, quæ eam circulo secabit, non tenuis modo, sed etiam acutus, & firmus esse debebit. Itaque tum galli veteris pinna, tum vel magis aquilæ ad hunc vsum est commoda. Abscindere verò ab his tantum radicem versus oportet, quatenus reliqua partis fistula complecti myrmeciam possit. Sanè ex ipsa statim abscissione, si modo scitè fiat, etiam acumen ipsi comparabis. Atque hoc quidem ratio inuenit, non casus. Iam quod hæc vehementer attrahentibus medicamentis sursum velletur, & putrefacientibus enecabitur, ratione ab aliquo est inuentum, qui ijsdem postea vsus experientia rẽ comprobauit. Inter ea verò, quæ verrucas sursum trahunt, vrendoq; corrumpunt, & putrefaciunt, Gal. probat batrachium, à Latinis ranunculum appellatum. Cum enim ait ille, quatuor habeat differentias, omnia vehementer acrem qualitatem possident, adeo, vt cum dolore exulcerent: hac ratione, si moderatè, ac conuenienter vtare, psoras, & lepras excoriant, & vngues diuellunt: tum leprosis stigmata digerunt, & acrochordonas, & myrmecias detrahunt. Quin & alopecias iuuant pauco tempore admota. Nam si diutius inhœreant, non excoriatur solũ ipsa cutis, sed & in crustam vritur. Atque hæc omnia caulis, & foliorum sunt opera, si imponas virentia. Similiter, vt idem Gal. est auctor, nigella, seu melanthiũ, quia excalfacit, & siccat ordine tertio, & tenuium videtur esse partiũ, lepras, clauos, & myrmecias eijcit. Pariter Olynthi, seu Grossi, vt idem habet, acrem, & digerentem vim possident: & propterea cocti duros tumores discutiunt, crudi verò myrmecias, & thymos eijciunt. Fici quoque arboris tum liquor, tum foliorum succus, quia vehemẽter calfacit, & tenuiũ est partium, adeo, ut non tñ mordicet, verũ ẽt vehemẽter abstergat, & vlceret, ora vasorũ reserat, & verrucas, quas myrmecias vocant, eijcit, vt idẽ Gal. testatur. Nos verò foliorũ, tum ramusculorum fici arboris succũ, siue lac in omnibus verrucarũ generibus fugandis, sicuti vbiq; ferè locorũ promptissimũ: ita præstantissimum remedium esse semper probauimus: singula die iubentes, vt verrucæ eo tangerentur, seu linirentur tantummodo, donec ex toto delitescerent,

quod

Marginalia (right): Callus. — Signa. Prognostica. — Indicationes. — Curatio. Chirurgia. Pharmacia — Topica auxilia: Chirurgica — Auxilia pharmaceutica.

Marginalia (left): Gal. 14. meth. 13. — Gal. 14. meth. 17. — Gal. 6. simp. fer. prop. — Gal. 7. simp. — Gal. 8. simp. — Gal. 8. simp.

quod tribus, aut paulò pluribus diebus contingere consueuit. Ficus autem agrestis, quam Latinè caprificum nominant, tum lac, tum succus ad omnia, quam satiuæ, valentior est. De liquore autem tithymali loquens Galen. scribebat, quod cum ex quarto sit excalfacientium ordine, si cera circumliniatur, aut oleo misceatur, acrochordonas, & myrmecias & pterygia, & thymos aufert, detergetque lichenas, & psoras, quia scilicet & abstergendi facultas ei inest propter amaritudinem: in tempore tamen, vt Galen. subdit, & moderatè eo vtendum: Eadem quoque facultate & fistularum callos succus & radix tithymali eximere potest. Hæc autem omnia, imbecillius tamen, & folia & fructus præstare possunt. Chamæsicæ pariter, quia abstergendi simul, & acrem vim possidet, acrochordonas, & myrmecias, si caules eius teneriores in modum cataplasmatis admoueantur, quique ex eis profluit liquor, auferre potest. Mysius verò Medicus quidam ad acrochordonas, & myrmecias, & thymos, & furunculos duros, quos clauos nominant, ouium stercore vtebatur, aceto videlicet diluens. Sed & per stercus caprinum combustum similiter curabat; sed pauculum eius multis numeris maiori cerati moli admiscebat. Porro sauræ caput contritum, vt idem Gal. memoriæ prodidit, quidā palos, & spicula extrahere memoriæ reliquerunt, tum myrmecias, acrochordonas, & clauos. Auicennas verrucas pellebat eas fricando cum aqua porrorum, & sumach. Halyabbas proponit pentaphyllon cum musto contusum. Henricus præcipit verrucas liniri per sex dies bis, aut ter in die cum aquositate, quæ remanet in potu plumbeo, in quo limaces rubei cum sale per quatuor dies reconduntur. nam sine dolore eas radicitus euellit. Alij confugiunt ad corrodentia, veluti sunt oleum anacardinum, aut cauterium de calce & sapone. Halyabbas ipsis cum vngue, aut sagitella apertis, aut cum cantharidibus modicum arsenici in fissura imponebat, & absque vllo dubio enecabat. Quidam ipsas oblinunt cum stylo, in cuius extremitate sit modicum gossypij immersi in aqua forti Chimistarum. Eodem prorsus modo licet admouere oleum de chalcantho, ita, vt verrucæ tantummodo summa pars tangatur. Valentissimum enim præsidium est. Quidam eas cum filo serico ligant, & postea cum acuto cauterio absumunt. In ijs verò, qui cauterium respuunt, & pueris mollioribusque corporibus, licet cum Rase vetrucas fricare cum corticibus capparis, nucibus cupressi, thamarisco, aut oliuis immaturis. vel teratur thamarisci fructus cum aceto, & cum eo sæpius verruca illinatur, quia citò penitus eradicatur. Fortius autem istis existit oleum de frumento: necnon cortices nucis recentis. Pariter cortex salicis vstus illinitus super verrucas, & superligatus sanat eas. ita si superfricentur cum vmbilico Veneris, aut stercore passerum, aut felle hircino aut sæpe cum vrina abluantur, cito recedunt. Vt autem inquit Serapio, cœpe cum sale mixtum superpositum nedum verrucas, verum etiam callos eradicat. Lac quoque Chelidonij superpositum est vtile. Puluis ammoniaci superpositus & ipse verrucas tollit. Succus autem portulacæ ab occulta proprietate superfricatus in tribus diebus eas eradicat: sed præsertim myrmecias. Ne autem malum reuertatur, vniuersa verrucarum radix auferenda, donec abijciatur totum illud, quod dolorem nō percipit. Quotiescunque verò fortia, & acuta medicamina apposita locum affectum infestant, & dolorem, aut nimium ardorem excitant, monet Auicennas, vt butyrum coctum superponatur, & parumper dimittatur, & deinde medicamentum eradicans iteretur, donec ex toto malum sit ablatum. Pro callis verò quos clauos nonnulli vocant, amouendis, peculiariter probantur emollientia primum adhibita; quæ quidem multoties iteranda & repetenda sunt; ita tamen vt interim interponatur incisio partis subinde mollificatæ, donec ita faciendo callus totus abscindatur, & eradicetur. Nos laborantibus imperare consueuimus, vt dum mane è lectulo surgunt, teneant pedem, seu partem callo obsessam per horam in althææ vel maluarum decocto moderatè calido & postea aut forficibus, aut scalpro incisorio eam totam calli partem incidant, quæ sectionem absque dolore sustinet: quod etiam dum eunt dormitum, fieri potest: & deinde resinam aliquam, potissimumque abietinam remanenti callo admoueant, & per totam noctem ei alligatam detineant, & mane ea ablata, rursus suprascripto balneo, & incisione vtantur: & sic singulo mane, aut sero facientes perseuerent, donec vniuersus callus absumptus sit. Calbanum quoque callo superpositum ipsum emollire, & sanare potest. Idem facit, valenter emolliendo, & digerendo stercus gallinæ recens sumptum, ilico postquam egestum fuit, suprapositum. Quod si his non curetur, oportet, vt per quindecim dies vel circiter, mollificetur, præsertim cum axũgia suilla salita,

Gal. 8. simp. fer. prop.

Gal. lib. cit.

Gal. 10. sim.

Gal. 11. sim.

Ad callos.

vel lardo solo,aut misto cum folijs maluæ, vel altheæ decoctis in aqua cum caricis, & facta emollitione, secetur, quod est in circuitu calli, & teneatur cum forficibus, aut vncino,& radicitus euellatur; aut, vt iubet Auicen.cum manu semper moueatur, donec egrediatur. Quod si quid post sectionem, aut euulsionem quomodolibet factam, relinquatur, optimum est huic residuo acutum, quod punctuale vocant,cauterium admouere; & postea locum affectum,vbi decet, curare. Quod si æger cauterium non admittat, cum Auicenna ei annectatur plumbum, & fortiter super ipsum stringatur, quemadmodum in curatione nodorum fieri solet. Ad callosos autem processus in manibus, & pedibus, quos clauos appellamus, & ad omnes duritias sine exulceratione auferendas, Galen. maximè extollit Moschionis pharmacum, quod Rec. Argenti spumæ, picis, seui vitulini ana drach.clx. resinæ therebint.mannæ thuris ana drach.lxxx.ceræ drach.xxxx. æruginis, oppoponacis, chalbani ana drach. viij. olei cicini hæminam, aceti tantundem, liquoris sycamini hæminam, picis liquidæ hæminæ dimidium: Argenti spuma læuissima & cicinum oleum in vas fictile, æreumve iniecta, & super ignem posita incoquuntur: posteaquam ebullierint, seuum & manna thuris adduntur, & continuè mouentur: cum coiuerint, pix, cera, resinaque admiscentur, & coctis quoadusque non polluant, chalbanum aspergitur; deinde ærugo, & oppoponax ex aceto resoluta: liquor verò sycomori, & pix liquida in alterum vas transfusa coquuntur; vbi coiuerint priori pharmaco admiscentur, rursusque supra ignem posita, vsq; dum non inquinent,coquuntur; & in vinum demersa relinquuntur triduum: inde subactis vtimur in linteolum illinentes. Oportet autem post medicamenti impositionem vittam resparsam vino exprimere, & tunc pharmaco circundare. Callos pariter consumit, vt idem Gal. testatur, emplastrum, quod Rec.ceræ lib.ij.frictæ resinæ lib.iij. æruginis rasæ vnc.vj. mannæ thuris vnc.iij. olei hæminas v. aceti sextarium: Liquabilia siccis miscentur: Quidam tamen resinæ frictæ libr.ij. & terebinthinæ tantundem ingesserunt, atque sic præparatum ærugine rasa ipsum exceperunt, vt collyrij tenorem haberet: atque hoc imposuerunt, vbi callos consumere studuerunt, promptè enim hæc facit, vt etiam ossa separet. Clarum est autem in Verrucis eam victus rationem imperandam esse, in qua ea omnia caueantur, quæ crassum, & siccum sanguinem multiplicant: & ea eligantur, quæ probum, & tenuem sanguinem, & laudabiles succos gignunt. His de pustulis exaratis, nunc vitiosos cutis colores, atque maculas aggredi tempestiuum erit.


Gal.2.de cõpo.per gen. cap.17.

Gal.5.de cõpo. per gen. cap.2.

Victus ratio.

Finis Libri Primi.

EVSTA-



EVSTACHII RVDII VTINENSIS

DE SYMPTOMATIB. EXTERNIS LIBER SECVNDVS,

In quo de vitiosis cutis coloribus, de pilorum vitijs, & alijs ipsis cognatis affectibus agitur.

De naturali & vitioso cutis colore. *Cap. I.*



IS cutis affectibus, ac immutatis qualitatibus absolutis, quæ in cute prominentes nedum visus, verum etiam tactus obiectum erant, nil aliud remanet, nisi vt eas nunc explicemus, quæ quidem in cute ipsa nullatenus prominent, sed eandem cutim fœdo, aut prauo, seu vitioso colore inficientes videndi sensui solum obijciuntur. Tales porrò sunt cutis infectiones, quæ maculæ vocitantur: quæque nihil prominentes æquales manent, & nullam asperitatem exhibent, sed alieno tantummodo colore, quicunque is præter naturam existat, cutem deturpant. Vnde ne quis hac in re decipiatur, scire debet dari cutis colores, qui vel naturales sunt, vel non naturales dici possunt, vel præter naturam omnino existunt. Naturales porrò sunt, qui naturale corporis temperamentum, vel humorum in eo naturaliter prædominantium naturam insequuntur. Quemadmodum enim in tēperato corpore, & exactè medio, ac quadrato, totius corporis color albus est, sed rubore moderato perfusus, ac splendens, eò quia cutis, spermatica pars cum sit, sui natura alba est, & sanguis ad ipsam perueniens, cum probus, & inculpatus sit, ruber existit, & quia multis spiritibus refertus est, viuax, ac splendidus apparet: ita in corpore calidiori ac humidiori, propter sanguinis exsuperantiam, exactè rubeus; in calidiori, ac sicciori, propter bilis dominium, rufus aut subrufus, vel pallidus pro minori, aut maiori bilis copia nobis sese offert; In frigido autem, & humido propter pituitæ copiam, albus exquisitè; in frigido, & sicco propter sanguinis paucitatem, & ipsius congelationem, fuscus, & ad liuidum inclinans; in impensè calido temperamento sanguinem adurente, propter melancholici succi dominium, aut immodice ruber, aut niger color conspicitur. Colores verò nonnaturales dici possunt ij, qui vniuersam quidem cutis superficiem perfundunt, sed ab extrinseca, & non naturali vocata causa profecti, permanentiam, quæ alicuius momenti sit, non habent, quemadmodum in diuersis ambientis dispositionib. calidis, aut frigidis, balneis, corporis exercitatione, aut nimia quiete, somnis, & vigilijs, euacuationibus, aut repletionibus, ira, metu, & alijs animi motibus euenire cernimus: Sub quibus cutis pro causæ extrinsecæ

[Margin notes: Color naturales. — *Galen. 1. de Temp. c. vlt.* — Colores nō naturales. — *Gal. 2. prædic. com. 14.*]

ti infecæ natura ac facultate diuersa, colorem quoque diuersum induit. qui tamen cum ex naturæ lege fiat, & naturalem humorum motum, ac reciprocationem insequatur, & permanentiā non habeat, pręter naturam nullo pacto censeri debet: neq; etiā naturalis vocandus; quia potius naturalem, ac proprium temperamenti, & succi naturaliter dominātis colorem interturbat, & immutat. Vnde diuinus Hipp. nos docere volens, quo pacto ex corporis colore humores in eo dominātes diiudicare debeamus, cognoscens colorem non à solidis partibus, sed ab humorib. prouenire, scribebat, quod color humorum, vbi non est humorum reciprocatio, veluti efflorescit, hoc est, colori humorum similis est. Inquit autē (vbi reciprocatio non fit) idest, vbi humores non sunt aliquo affectu perturbati, nec intra corpus se receperint, sed in toto corpore sunt æquabiliter fusi. Colores demum prætēr naturā sunt illi, qui, vt Gal. habet, à malitia, & prauitate succorum proficiscuntur. Et hi rursus duplices existunt. nam vel totius corporis colorē immutant, vt in cachexia, in hydrope, melancholia, elephantiasi, lienis, & iecoris vitijs, & in morbo regio, seu ictericia, de quibus cum alibi egerimus, in præsentia tractare non aggredimur; Vel vnicam tantum, aut plures partes, non tamen vniuersam cutem inficiunt, de quibus nunc loqui tempestiuum est. Tales autem sunt Vitiligo, Panus, Lentigo, seu Lenticula, & Ecchymoma, sub quo Suggillata, Stigmata, Vibicesque continentur.

Hip. in prin. lib. de humo. — *Galen. in fin. com. 1.* — *Colores pter naturā.* — *Galen. 3. de humor. 26.* — *Lib. 2. in propr. cap.*

De Vitiligine. Cap. II.



A VITILIGINE verò auspicari, de eaq; in præsenti capite differere decreuimus: quia & penes causam, & penes curationem, Lepræ, de qua paulò supra pertractauimus, quàm maximè affinis est. De curatione namque quid attinet dicere? nam pleraq; remedia, quæ vtrique affectui conuenientissima sunt, in lepræ tractatione apposuimus. De causa verò clarè scribit Galen. quod Alphi quoque, id est vitiligines ex humorum vitiositate, quæ in cute fit, quemadmodum etiam de leprā planum est, oriuntur. Et alibi inquit, quod Leuce, & Ophiasis, & Alopecia, & quicquid eiusmodi symptomatū genus habetur, sub quo lepra ipsa continetur, à vitiosā nutritione prouenit. Ne verò vlla propter nominis ambiguitatem oriatur confusio, animaduertendum Gal. à Celso, & Latinis in eo discrepātem esse, quod voluerit vitiliginem, & alphum idem esse vitium, quemadmodum ex eius verbis superius adductis apertum est, & insuper statuit Vitiliginem à Leuce differre. Cum enim dixisset, quod qualem ab initio locusta carnem habet, fereq; omnes ostreæ, talem ex transmutatione habent, qui Leucis fœdantur (ita enim carnis vitiū nominant, à colore scilicet albo nomen imponentes, sicut nigrę, & callosæ carni ab elephante nomen ferunt: fit enim eodem modo, quo leuce, melancholico nutrimēto ad carnem longo tempore confluente) statim subiungit, quod vitiliginum generatio cum prædictis vitijs similis est generis: Non tamen sub iis tota caro vitiatur, sed in summo corpore, veluti squamæ quæpiam, vitiligines insiguntur, albæ quidem ex pituitoso, nigræ ex melancholico succo exortæ. Adeo, vt voluerit Gal. Vitiliginem esse vitium magis superficiale; Leucen verò altius hærere. Altera autem ex parte Cornelius Celsus, quem Latini insequuntur, accipit Vitiliginis nomen ceu commune quoddam, quod tum alphum tum leucen sub se comprehendit. In qua etiam significatione (cum nomina sint ad placitum) ne à Latinis & Celso recedamus, vitiliginis nomen suscipiemus, præsertim cum de iis vtrisque vitiis, sub vno & eodem capite, quemadmodum & Arabes fecere, nobis sit agendum. Vitiligo itaque in proposito significatu est cutis macula siue vitiosus color ab affluentis nutrimenti prauitate alteratricem partis virtutem vitiante productus. Cum autem huius vitij forma ex se, & Gal. dictis clarissima sit, ideo si de causa effectrice, & nutrimenti prauitate sit sermo, per hanc non vitium ipsius in sola qualitate, vtpote vel prima, vt frigiditate, vel secunda, vt crassitie vel lentore, audiri volumus, sed in substantia ipsa, siue forma, quia alimentum, quod sui natura sanguineum est, tum diuersi temperamēti, tum alterius naturæ, & subinde vel pituitosum vel melancholicum euadit, quod quidem diuersum temperamentum atq; substantiam diuersus quoque affectæ partis vitiosus color insequitur, partibus circumstantibus proprium naturalemq; colorem seruantibus. Ob id Gal. scribebat, nedum plęraque alia vitia; sed etiam vitiligines, atheromata, acrochordones, & alia id genus esse

Continuatio. — *Galen. 3. de hum. cō. 26.* — *Galen lib. de differ. symp. cap. 4.* — *Nomen.* — *Galen. 3. de hum. 26.* — *Galen. 3. de cauf. sympt. cap. 2.* — *Celsus lib. 5. cap. vlt.* — *Natura.* — *Galen. lib. de diff. symp. 5. & 3. de sympto. caus. c. 2.*

esse morbos, qui fluxionum sunt partus. Modò nemo vnquam dixerit, ab alimento propriā formam seruante, & quantitatis modum non excedente (quemadmodum in vitiligine non excedit) morbum oriri ex fluxione. Insuper idem Gal. alibi ait, eādem vitiliginem, necnon scabiem, lepram, tumores duros, præter alia multa, esse de genere morborū similarium partium: quia reducuntur ad intemperiē ipsam, non quidem nudam, sed cum materia coniunctam. Qui omnes morbi ex vitiosæ materiæ fluxione de necessitate oriuntur: Sed clarius adhuc eandē Gal. comprobat veritatē, dum in eodem lib. paulò post, tum acrochordonas, & lepras, tum vitiligines in numero eorū morborum recenset, qui non similarium partium, sed organicarum proprij sunt, & ad numerū auctum, sed à toto genere præter naturam pertinent. Ex quibus obiter colligimus, quā insulsè nonnulli quęsierint: An vitiligo in Gal. doctrina sit vel à toto genere, vel non à toto genere præter naturā. Sed in hos incidunt errores, quia Gal. scripta aut non legunt, sed solū ab alijs relata vident, aut superficietenus lambunt. Ex his autē allatis Gal. auctoritatibus, nedum Argenterius, qui satis oculatus fuit; verum etiā quilibet alioquin in hac arte initiatus, ipsis conniuentibus oculis statim cerneret apparentē quandam in Gal. dictis contradictionem. Nam in exaratis auctoritatib. vitiliginem modo symptoma, & qualitatem mutatā, visibilem nimirum, esse ait; modo inquit esse morbum in intemperie cum materia; nonnunquā esse morbum compositum similarium partium; aliquando morbū in numero aucto à toto genere pręter naturā esse affirmat. Quamuis autem Argenterius arbitratus sit non posse Gal. ab his contradictionib. vindicari: Nihilominus seipsum aut admodū maleuolum, aut mentis omnino impotem præbuit, dum voluit Gal. in eodem libello, & tam exiguo verborū spatio discrepantia protulisse: & arbitratus est dissonantiā conciliari prorsus non posse. Neq; minus ridiculi mihi videntur quidā, qui Gal. vindicare, & auream illius doctrinā dilucidare credunt, si dicant Vitiliginē genericè sumptam semper esse symptoma in qualitate visibili mutata: sed si pro illa specie sit vsurpanda, quæ pręsertim Leuce dicitur, vt sic suscipit rationem morbi. Id enim non est Gal. doctrinā lucidam reddere, sed potius cōfundere, & obtenebrare. Nam dum ait, Vitiliginem esse morbum in numero præter naturam, vnà cum ipsa etiam leucen speciem enumerat: Et ex aduerso enumerans vitiliginem inter mutatas visibilesq; qualitates, vnà cum ea de Leuce quoq; particulatim illicò post mentionē habet. Sed hos, qui more suo plurima obloquuntur, & vel Gal. scriptis non incūbunt, aut ea non assequuntur, missos faciamus. Dicamusq; nedum Vitiliginē; Verum etiā Verrucas, Lepram, Scabiem, & alia plura vitia alioquin pustulosa diuersimodè considerata posse sub diuersis vitiorū generibus contineri. Quatenus enim fluxionis sunt soboles, & à materia vitiosa fiunt, quæ partes similares, & cutē ipsam inuadunt, quia materia hæc intemperata est de necessitate, ideo sui natura producit vitium, quod morbus, & intemperies cum materia dici potest, quia ab hac intemperie, cuius materia iam influxa contentiua causa est, cutanearū partium si non publicæ, atq; communes, saltem priuatæ, & particulares operationes læduntur, functiones nimirū naturales, & eæ præsertim, quæ ad concoctricem, & altricem vim referuntur. Quod si eadē vitiosa materia consideretur, prout duplici alterante qualitate prædita est, de necessitate, vti Gal. loc. cit. clarissimè docuit, hunc in modum non solum earundem partiū cutanearum intemperiem cum vitioso succo, siue dicamus, vt aiunt, cum materia; verum etiam intemperiem cōpositam procreat, prout fluens materia duplici qualitate inuicē complexa, & similares partes duplici intēperie afficiente donata est, à qua quidē duplici intemperie iam enumeratæ functiones lędūtur, sensibiliter, vel insensibiliter, & magis vel minus, prout influens materia magis vel minus copiosa, in cutaneis particulis maiora vel minora inducit mala. Si verò accipiātur Vitiligo, & alia proposita vitia prout præter naturam in ijsdem partibus adnascuntur, & fiunt à materia praua, & prorsus inutili, hoc pacto ad morbū organicū, & in numero aucto, eoq; à toto genere præter naturā redigi possunt: quotiescunq; ab ijs nedū priuata, verum etiā publica, atq; communis aliqua in eis operatio læditur. In scabie siquidē numerosa, ac sæuiori, necnon in lepra tum ad sensum tum ad motū attinentes functiones offendi possunt: Ad sensum quidē, quia earum ratione functio tactiua insigni pruritu deprauatur: Ad motū verò, quia tum numero, tū dolore partiū, in quibus subsistunt, siue sint manus, siue pedes, motum voluntarium impediunt, & aliquatenus lędunt. Acrochordones quoque, Myrmeciæ, & Verrucarū genera non rarò vidimus in digitis manuū adeo numerosa, & insignia fuisse suborta, vt eorū ratione & apprehendendi, & tangendi functio in ijs fuerit oblæsa. Sed quispiam

Galen. lib. de diff. morb. 5.

Gal. lib. cit. cap. 9.

Lib. de morbor. diff. 8. Cap. 5.

Galen. lib. de cau. morb. 6.

quiſpiam fortaſſe dubitabit, quomodo Vitiligo ſui natura poſſit organicũ morbum excitare: cũ neque pruritu, neque dolore ſit moleſta (quia à ſucco frigido mordacitatis expertè procreatur) neque magnitudine aliqua extra cutis ſuperficiem prominente partis motũ impedire queat. Huic tamen facilè reſpondemus, Vitiliginem, & materiã vitioſam eius cauſam, dum ad inſigniorem magnitudinem, aut latitudinem cumulatur, ſi non affectæ partis motũ, vt verrucæ ſæpe faciunt, ſaltem tactiuã functionẽ impedire, & aliqua ex parte labefactare poſſe. Cum enim, vt Gal. docet, cutis ſit organũ tactorium, & hac de cauſa ab ipſa natura temperatiſſima fuerit effecta, & inter omnes qualitates ſymmetrã temperaturam fuerit ſortita, dum vitiligine, aut leuce fędatur, ad tangibiles qualitates iudicãdas ineptior redditur. Nec quis nobis obijciat, dixiſſe aliquando Gal. cutim non actionem, ſed ſolum vſum habere: quia tunc Gal. intelligendus eſt de functionibus, quæ in quadã actione ac motu conſiſtunt, de quibus proximè locutus fuerat, non etiã de ijs, quæ conſiſtunt etiã in quodam pati, in quarum numero & ipſa viſio recipienda eſt. Poſtremò, quia vitiligo, & iam enumerata mala vt plurimũ actionem ſenſibiliter non lædunt, aut læſio exigui momenti eſt, & quia mutatã qualitatem aut viſibilem, aut tum viſibilem, tum etiã tangibilem de neceſſitate annexã habent, ideo maximo iure ipſa quoque inter huiuſce claſſis ſymptomata enumerare voluit, vti quoq; nos fecimus. Ad mutatã ſiquidem qualitatẽ, & vitioſum colorem, quem morbi nonnulli ſecũ ferunt, reſpiciens Gal. nedũ vitiliginem, verum etiam elephantiaſim, cancros, carbunculos, eryſipelata, & ſerpentia ipſa vlcera ad eaſdẽ mutatas qualitates redigere non eſt veritus, quia tunc non conſiderãtur, quatenus morbi, ſed prout tali colore ſunt præditi. Et idem cũ plura mala ad numerum auctum attinentia in medium attuliſſet, poſtea ſubiunxit, quod ea interdum ſunt morbi, dum ſ. immediatè actionem impediunt: nonnunquã cauſæ morbi, quoties mediatè id agunt, vti ſunt germina, quæ meatus interſeprant: quia anguſtia mediante actioni officiunt. Ergo colligere poſſumus, quod quando nec immediatè, nec mediatè actionib. nocent, ſunt ſymptomata. Quod verò pręter affluentis nutrimenti prauitatẽ, error quoque alteratricis virtutis ad creandam vitiliginẽ concurrat, hac verborum ſerie declarauit Gal. Fruſtatur autem, ait ille, & nutritio, cũ vel prorſus non fit, vel intra iuſtum modum vitioſève fit, idq; vel culpa nutritiuæ virtutis, quæ alteratricis eſt ſpecies, vel materiæ defectu vitiove: defectu quidẽ in atrophijs; vitio verò, vt in elephantiaſi, & leucis, cęterisq; id genus. Accidit enim dum agglutinatur carnib. nutrimentũ, vbi pituitoſior ſanguis eſt, carnẽ quoq; effici magis pituitoſam. Neque enim idẽ eſt carni eſſe, & pituitoſæ carni eſſe: ſicuti nec carni eſſe, nec melancholicæ carni eſſe: nec bilioſæ, atq; temperatæ eſſe, & à primis qualitatib. nominatæ, humidiori, & ſicciori, & calidiori, & frigidiori. Certiorem fidem ſermoni noſtro adhibebis, ſi animaliũ carnes tum ſanguine præditorum tum exſanguiũ æſtimabis: adhæc etiam reptiliũ, quæcunq; veris tempore gigni cernuntur: maximeq; ex ijs, quæcunq; viridium herbarum colorẽ præferunt. Cæterum horũ caro ſimillima ipſis herbis eſt: aliorum alba, & exſanguis, veluti locuſtæ, & polypodis, atq; aliorum alia quædam. Ergo cum caro longo tẽpore pituitoſo ſimul, ac glutinoſo ſanguine nutritur, caro quidẽ adhuc manet, mutatur tamen eius forma, & in alterã ſpeciem vertitur, fitq; media quędã inter ſanguineam, exſanguemq; carnem. Vbi autẽ talis eſt reddita, accidit ei, vt de cætero allatum ſibi nutrimentũ non magis vel tentet in rubrã carnis ſpeciẽ mutare, quàm polypodes, & locuſtę. Ita fit, vt tũ alba, tum pituitoſa tota quàm citiſſimè euadat, cũ nec ipſa poſſit nutrimentum ad ruborẽ vertere, & ſimul pituitoſum illud affluat. Ergo qualẽ ab initio locuſta carnem habet, fereq; omnes oſtreæ, talẽ ex tranſmutatione habent, qui leucis fędãtur: Ita enim carnis vitiũ nominant, à colore ſ. albo nomen imponentes: ſicuti nigrę, & calloſæ carni nomen ab elephante ferunt. Fit igitur eodẽ, quo leuce, modo, melancholico nutrimento ad carnẽ longo tempore confluente: Vitiliginum autẽ generatio cũ prædictis vitijs ſimilis eſt generis. Non tamen ſub ijs tota caro vitiatur, ſed in ſummo corpore, veluti ſquamę quępiã, vitiligĩes infigunt: albæ quidẽ ex pituitoſo; nigræ autẽ ex melancholico ſucco exortę. Quam magnã verò vim habeat nutrimẽtum ad carnis mutationem, etiã ab Ariſt. eſt traditum, vbi meminit regionũ, in quibus pecora tam colore, quàm cæteris differentijs ſenſibilib. mutantur, atq; alterantur. Qui verò à nutrimento alterari nutrita inficiantur, hi de mutatione, quæ in animalibus cernitur, quid recti dicant, non habent: multoq; minus de ea, quę in ſtirpib. notatur. Sed à rebus, quę luculenter omnib. apparent, quid dicãt, incerti, hęrentesq; reddũtur. Siquidem quod de Perſica planta, quæ ex Perſide in Aegyptum eſt tranſlata,

Galen. 2. de temper. & alibi.

Galen lib. de diff. ſympto. cap. 5.

Gal. de mor. diff. 8.

Galen. 3. de ſympt. cauſ. vlt.

lata, proditur, nemini est incognitum. Lethalis enim in Perside erat; in Aegyptum translata id, quod periculosum erat, mutauit. Veluti nec quod in vitib. apud nos apparet, quæ cũ loca mutant, diuersum afferunt vinum. Ita stirpes trãsportatæ ex alijs in alia loca, sępe minus, quàm duorũ stadiorum interuallo, multis modis alterãtur. Conueniebat igitur, qui aiunt nutrimenti nomen eius, quod vincitur, alteraturque, ac mutatur duntaxat esse, non id modo sciffe ac dixisse, sed etiã de Leuces generatione differere tẽtasse. Quippe aut ipsa nutrita caro eius morbi causa est, aut ipsum nutrimenti vitium. Sed si nutrimentũ causa non est (ita enim volunt) necesse est carnem dicant. Quid ergo patitur hæc, quod nutrimentũ sibi in totum non assimilat? Fiet enim eo certè pacto natura vitij causa. At multò, arbitror, satius erat, nutrimento causam imputare. Iam verò nec propterea, quod nutriti opus sit, vt sibi nutrimẽtum assimilet, assimilari ac mutari nutrimenti sit passio: non potest idcirco, quod patitur, vicissim aliquid, tametsi minimum, in id, quod agit, facere: cum eius sententiæ maximè contrarium in disputatione de ijs nos nõ modo ostendimus, sed etiam ex Philosophis ij, qui omnium naturæ affectuum, ac passionum grauissimi interpretes fuerunt. Apparet enim omnia tametsi multo ijs, quibus appropinquant, sint valentiora, aliquid tamen ab ipsis sensibile manifestũq; pati; & si non primo statim occursu, at certè temporis processu. Ergo leuce maximus quidem alteratricis virtutis error est. Parui autem alij complures sunt, carne scilicet in humore, siccitate, frigore, & calore mutata. Hæc Gal. Qui alibi quoque de leucis scribens inquit, esse symptoma, quod dyspepsię simile est, non gracilem modo nutritionis desiderio, sed etiam aliena specie particulã reddens. Iam verò Vitiliginis in Latinorum significatu, vti diximus, susceptę duę sunt species, nempe Alphus, quem Arabes Morpheã vocant, & cutis tãtummodo colorem immutat, & Leuce, quam ijdem Arabes Albaras, sed albã appellant, & in qua etiam in carne, quæ sub cute est, color, & natura permutatur. Nam per albaras nigram nihil aliud significant pręter Lepram Gręcorũ, quemadmodum in proprio tractatu annotauimus, quæ quidẽ Lepra Græcorum non est simplex color, & solũ visus obiectum, sed est pustula, & cutis aspredo impetigoq;, quæ etiam tactui obijcitur. Alphus rursus duplex est, albus s. qui à crassa pituita fit, & ab Arabibus Morphæa alba dicitur; & niger, qui à materia gignitur melancholica, & ab ijsdem Morphæa nigra nuncupatur. Non desunt autem aliqui, qui dixerũt, quod præter mutationẽ ad album, & nigrum colorem, quandoq; etiã ad rubeum, & citrinum mutatur, pro diuersitate corrupti humoris in alphis reperti: si enim in affęcto loco vitiosus, & corruptus reperiatur sanguis, color ad rubedinẽ; sin corrupta bilis, ad citrinitatem permutatur. Veruntamen quia sanguis, & bilis rarò admodum in cutaneis partib. sic colligũtur, quia sui caliditate, & acrimonia expultricem irritant, & cutem exedunt, ideo auctores rubea, & citrina morphęa prætermissa, eã in albã solum, & nigram distinxere: quia in ijs locis pituita, & melancholia frequentissimè colligũtur. Quemadmodum verò alphus albus à Celso simplici nomine alphus appellatur; ita alphus niger ab eodem Celso, & quibusdã alijs non alphus, sed Melas vocitatur: Rufas verò dispositiones ex mixtione sanguinis & bilis flauæ prouenientes nonnulli Rosas nuncupant. Ex his autem apparet, quænam horum omnium malorum contentiua, proximaq; causa sit. Nam sicuti alphus niger à melancholia; ita alphus albus, & Leuce à crassa viscidaque pituita procreatur. Sed in alpho, seu morphæa alba, vt notat Auicennas, materia tenuior est, in Leuce crassior. Et insuper in alpho virtus expulsiua, inquit ipse, robustior est, & proinde materiam ipsius magis ad superficiem expellit: In leuce est languidior, & ob id remanet materia eius fixa in interiori parte, & corrumpit complexionem nutrimenti ad partem peruenientis: idcirco appositio quidem nutrimenti fit, & agglutinatio, non tamen assimilatio, & ita caro quoque vitiosa euadit: quia leuce ex eorum malorum genere est, inquit Galen. quæ fiunt ex mutatione partium solidarum: adeo, vt etiam si in posterum inculpatum ad partem affectam deferatur alimentum; non tamen regatur, & in probam carnem vertatur, sed corrumpatur, & vitiosum euadat. Hinc patet, cur dixerit Galenus alphi vitium non adeo in carne contineri, sed in cute ad modum corticum, ita vt Alphus sit veluti res congelata super cutem: sed Leuce cutis modum immutat, facitque eam sanguine carere, & ad eundem modum carnem quoque cuti subiectam immutat. Ijdem succi praui in venis, ac reliquo corpore existentes horum malorum antecedentes causæ vocari possunt. Aliæ verò remotiores causæ sunt illæ, quæ succos hos vitiosos vel generant, vel ad cutaneas, extrinsecasque partes mouent. Propterea principalis, inquiunt Arabes,

Differẽtiæ.

Causæ.

Gal. 14. metho. c. 17.

Galen. 3. de sympt. caus. cit.

Causæ magis remotę.

Materias prauas generantes.

harum

harum passionum causa est imbecillitas alteratricis, siue sanguificatricis virtutis hepatis vitiosos iam dictos succos procreantis: & interdum etiam imbecillitas virtutis expultricis non valentis illos extrà cutim propellere. Vnde remanentes in cute eius alteratricem, seu immutatricem vim labefactant, ita, vt assimilare eos non valeat, & contrahat colorem humoris inibi existentis. Similiter causa imbecillitatis alteratricis virtutis hepatis, & generationis vitiosorum succorum iam dictorum vt plurimum est vitiosa victus ratio, presertimq; prauorum ciborum, & alimentorum assumptio. Vnde, vt quidam ex Arabum coetu scriptum reliquit, Alphus albus, Leuceque fiunt ex alimentis abundantis aquositatis, & modicae vnctuositatis, quae in sanguinem album immutantur. sicuti Alphus niger, & Lepra ex siccioribus, ac melancholicis cibarijs fiunt: Vel ex Lienis imbecillitate melancholiam à sanguine expurgare non potentis. Hinc patet, cur mulieres his malis minus corripiantur, quàm viri: quia earum corpora menstruis purgationibus ab ijs succis expurgantur. Pueri quoque ob expultricis virtutis robur, & quia eorum corpora calida, & humida, ac rariora cum sint, magis difflantur, minus his malis infestantur, quàm viri, propter causas oppositas. Tabes quoque, quia calorem innatum labefactat, & est in causa, vt excrementa haec colligantur, & extra cutim non expellantur, est in causa horum affectuum: sicuti etiam alij diuturni, lethalesq; morbi. Contagium verò, vt ex auctoribus colligimus, in Vitiligine locum non habet: quia à crasso, viscido, ac frigido humore cutim ipsam minimè permeante, nullae euaporationes, exhalationesve fiunt. Haereditariam tamen interdum esse Vitiligine albam Auic. scriptum reliquit.

Galen. 3. de sympt. caus. in fine. *Arist. 10. probl. 4.* *Alex. 2. probl. 42.* *Auic. 2. primi doc. 1. in fine.*

Causae materias mouentes.

In numero autem causarū succos iam dictos ad cutim mouentium recensetur frequens, & inordinatus motus de vno loco ad alium. Vnde scribebat Auēzoar ex immodica, & frequenti exercitatione fieri morphęā albam: nigram verò quando aliquis post balnea sese non defricat. Importuna quoque cucurbitularum appositio, Auicenna teste, solet hanc affectionem excitare: quia sicuti cucurbitulae sanguinem: ita pituitam pariter ad cutem trahunt: quae si propter lentorem, ac crassitiem intra cutem detineatur, Alphos, ac Leuces creat. Vernum quoque tempus prauos succos ad extimas partes trahendo idem praestat. Ob id scribebat Hippoc. quod verè vitiligines, ac leucae fiunt. Calida quoque regio idem prorsus efficere valet.

Hipp. 3. aph. 20.

Signa.

Cognoscuntur autem communiter vitiligines: quia sub his sensus aut omnino perit, aut multò stupidior euadit, vt ne si cutis scalpatur, & interdum ne si acus quidem leniter infigatur, percipiat. Iam verò nigrorum alphorum signa satis manifesta sunt: quia maculae quaedam sunt veluti vmbrae, nigrae, atque distinctae, absque vlla aspredine, & cuiuscunque excoriationis expertes, & sine vllo dolore, ac sine febre, & summam duntaxat cutem occupant. Sed alphi albi, quia cum leucis communicant, non ita clarè cognoscuntur: Ideo à Leucis distinguuntur, quia in Alphis pili oriuntur, & sunt nigri, & flaui, sed supra Leuces albi exoriuntur lanugini similes. Insuper in Leucis cutis est magis depressa, & versus inferiorem partē magis fixa, & effossa, quàm cutis reliqui corporis: In alphis verò, si aliquando fit depressio, defossioq;, illa est valde parua, quia summam duntaxat cutē obsident; Leuce verò altius descendit, & cutim totā prehendit. Adhaec in alphis, si pungatur locus cum acu, ex eo sanguinem extrahit; in Leucis verò non sanguinem, sed humiditatem aquosam educit. Propterea alphorum albę maculae sunt inuicē seiunctae ac discontinuatae; in leucis sunt continuatae, ita, vt sese in omnib. ferè locis contangant, ac inuicem copulentur. Videtur praeterea & interdū vitiligo quędam rubro, fusco, aut liuido colore, cuius sensus aut perit, aut stupidior est, hocq; genus vniuersum Iuniores malū mortuum vocant. Haec vitia peculiaria ijs sunt, quorū malus est habitus: Omnium quippe efficiens causa est humoris impuritas; sed alphi albi, & leuces crassa, ac viscida pituita: nigri alphi bilis atra, caeterorū humor fędo colori consentaneus.

Prognostica.

Est autē omnis Vitiligo affectio quidē fęda, ac corporis superficiem deturpans, non tamen vitae periculū minatur. Dum autem malū ab hepatis fit imbecillitate, deterius est, & minus curabile, quàm illud, quod fit ex imbecillitate alteratricis virtutis mēbri, in quo est. Clarum est aūt alphum minus difficulter curari, quàm leucen: Vnde alphus, etiā si antiquus sit, minus difficulter curatur, quàm leuce, quę antiqua non sit. Cum autē leuce fricatur, & non rubescit, & dum vlceratur, pungiturve, non tamen sanguinem eijcit, praua est, & incurabilis. Similiter quae magnū locum obsidet, aut antiqua, protractaq; est, & à qua post puncturam cum acu, aquea humiditas exit, vt testatur Serapio, insanabilis est. Ex Auic. verò illa, quae submersa est, & non rubet, neq; sanguinē emittit, & magnum locum occupat, & singula hora incrementum suscipit, nullam

habet

habet salutis spem. Eius enim intemperies fortis ac vehemens est, & omne id alimentum, quod ad ipsam venit, ad suam similitudinem conuertit. Et ob id est valde praua. Idcirco nos admonent auctores ex Galeni auctoritate instructi, vt quotiescunque ad nos accedit aliquis vitiligine affectus, vtamur vehementi frictione, & pungamus locum cum acu, & si egreditur aquea humiditas, malum tanquam incurabile dimittamus; sin egrediatur sanguis, curationem aggrediamur. Alij iubent, vt affecta pars in duobus locis scarificetur, & si sanguis exeat naturalis, curationem suscipiamus: sin non naturalis exeat, malum prognosticis relinquamus: quia indicium est affectum membrum habituata intemperie, & virtute alteratrice prostrata, ac veluti emortua detineri, & subinde vitium esse incorrigibile. Scribebat quoque Paulus, quod leuce in se ruborem habens, si sit tenuis, modicæ expensionis, & modici sanguinis, aut habens colorem nubilosum, sanabilis est. Sed quæ accidit in manu, & pede difficilis est curationis. Patet autem ex dictis de causis album alphum facilius curari, quam nigrum. Quanto autem magis vitiligo (quæcunq; ea sit) fuerit propinquior reliquo corporis colori, tanto ęgrius extirpari poterit. Tandem scribit Aetius, quod si loci pilosi in hac affectione glabri reddantur, incurabilis euadit. *Galen. 3. de symp. caus. cit.*

De Vitiliginis curatione. Cap. III.



CVM autem & vitiligo & leuce, vt Gal. testatur, sint ex eorum affectuum genere, quæ toto genere sunt præter naturam, & ex mutatione solidarum partium consistant, sicuti etiam myrmercia, & ossis caries, quam sphacelon vocant, & elephas, & scabies, & lepra, clarum est hæc omnia sui eradicationem indicare. Ne verò alphi leuceque rursus gignantur, oportet frigidum, & crassum, ac viscidum humorem ad affectam partem fluentem, & iam influxum euacuare, ac reuellere, & ne rursus generetur, inhibere: & quia ab influente hoc humore frigida parti affectæ intemperies inuritur, oportet intemperiem hanc calorificis auxilijs submouere, & partem affectam roborare, ut scilicet eius alteratrix facultas suo munere probè fungatur. Prauis autem succis iam influxis euacuatis, circa prauum affectæ partis colorem, nil aliud agendum: quia prauus color statim delitescit. *Gal. 14. meth. 17. & li. de diff. mor. 8.* *Indicationes.*

Curatio. Chirurgia. Quantum spectat ad præsidiorum materias, phlebotomia & venæ sectio solum in alpho nigro ab auctoribus probatur, eodem prorsus modo administrata quem in Græcorum lepra percuranda proposuimus, propter causam, quam ibi adduximus. Quo etiam in loco alphi nigri curatio tota perquirenda est. In albo autem alpho, & leuce auctores huius præsidij mentionem non fecerunt, eò, quia in hoc vitio sanguis, & loci affecti calfactio potius desiderantur: & in corpore frigidi potius ac crassi, viscidique succi peccant. Pro quorum apparatu, & ex calfactione, incisione, abstersioneque laudantur syrupi de betonica, mel rosatum, de duabus radicibus, byzantinus, de quinque radicibus oxymel simplex, & compositum, syrupus de stœchade, & id genus alij, cum similibus decoctis, vel aquis stillatitijs. Quibus ad eductionem probe apparatis, poterunt deinceps expurgari ijs pharmacis, quæ ex agarico, ex hiera colocyntide, & alijs pituitam expurgantibus componuntur. Quæ tamen expurgantia, ut nos admonet Auicennas, nullo pacto propinanda sunt, nisi causa antecedens, & crassi ac viscidi, & pituitosi succi in venis reperiantur. Si enim corpus mundum sit, ait ipse & complexio corporis æqualis, purgantia hæc omnino fugienda sunt, quia noxia sunt, & sanguinem minuunt qui tamen adeo in his affectionibus desideratur. Causa uerò & materia, quæ in loco affecto est, & causa contentiua dicitur, ab his purgantibus nullo modo expurgari, & ab ambitu cutaneo, & cuti subiectis carnibus, & uenas trahi, & per ventrem euacuari potest. Ob id scribebat Rases, quod maior pars huius passionis est in locis, in quibus non potest agere potus medicinalis. Idem verò in alpho albo & leuce maximè probat diuretica: quia sanguinis aquositatem valde imminuere possunt. Auicennas insuper probat, ut administrentur vomitoria, post quæ vtebatur Diureticis, & denium purgantibus per inferiora, & præsertim hieris magnis potissimumque de pulpa colocynthidis, & similibus catapotijs, dummodo praui humores in intimis corporis partibus latentes adsint. Is demum *Pharmacia. Purgantia. & Præparantia.* *Diuretica, & Vomitoria. Alterantia.*

harum passionum causa est imbecillitas alteratricis, siue sanguificatricis virtutis hepatis vitiosos iam dictos succos procreantis: & interdum etiam imbecillitas virtutis expultricis non valentis illos extrà cutim propellere. Vnde remanentes in cute eius alteratricem, seu immutatricem vim labefactant, ita, vt assimilare eos non valeat, & contrahat colorem humoris inibi existentis. Similiter causa imbecillitatis alteratricis virtutis hepatis, & generationis vitiosorum succorum iam dictorum vt plurimum est vitiosa victus ratio, pręsertimq; prauorum ciborum, & alimentorum assumptio. Vnde, vt quidam ex Arabum cœtu scriptum reliquit, Alphus albus, Leuceque fiunt ex alimentis abundantis aquositatis, & modicæ vnctuositatis, quæ in sanguinem album immutantur. sicuti Alphus niger, & Lepra ex siccioribus, ac melancholicis cibarijs fiunt: Vel ex Lienis imbecillitate melancholiam à sanguine expurgare non potentis. Hinc patet, cur mulieres his malis minus corripiantur, quàm viri: quia earum corpora menstruis purgationibus ab ijs succis expurgantur. Pueri quoque ob expultricis virtutis robur, & quia eorum corpora calida, & humida, ac rariora cum sint, magis difflantur, minus his malis infestantur, quàm viri, propter causas oppositas. Tabes quoque, quia calorem innatum labefactat, & est in causa, vt excrementa hæc colligantur, & extra cutim non expelluntur, est in causa horum affectuum: sicuti etiam alij diuturni, lethalesq; morbi. Contagium verò, vt ex auctoribus colligimus, in Vitiligine locum non habet: quia à crasso, viscido, ac frigido humore cutim ipsam minimè permeante, nullæ euaporationes, exhalationesvè fiunt. Hæreditariam tamen interdum esse Vitiligine albam Auic. scriptum reliquit. In numero autem causarũ succos iam dictos ad cutim mouentium recensetur frequens, & inordinatus motus de vno loco ad aliũm. Vnde scribebat Auẽzoar ex immodica, & frequenti exercitatione fieri morphęã albam: nigram verò quando aliquis post balnea sese non defricat. Importuna quoque cucurbitularum appositio, Auicenna teste, solet hanc affectionem excitare: quia sicuti cucurbitulæ sanguinem: ita pituitam pariter ad cutem trahunt: quæ si propter lentorem, ac crassitiem intra cutem detineatur, Alphos, ac Leuces creat. Vernum quoque tempus prauos succos ad extimas partes trahendo idem præstat. Ob id scribebat Hippoc. quod vere vitiligines, ac leucæ fiunt. Calida quoque regio idem prorsus efficere valet. Cognoscuntur autem communiter vitiligines: quia sub his sensus aut omnino perit, aut multò stupidior euadit, vt ne si cutis scalpatur, & interdum ne si acus quidem leniter infigatur, percipiat. Iam verò nigrorum alphorum signa satis manifesta sunt: quia maculæ quædam sunt veluti vmbræ, nigræ, atque distinctæ, absque vlla aspredine, & cuiuscunque excoriationis expertes, & sine vllo dolore, ac sine febre, & summam duntaxat cutem occupant. Sed alphi albi, quia cum leucis communicant, non ita clarè cognoscuntur: Ideo à Leucis distinguuntur, quia in Alphis pili oriuntur, & sunt nigri, & flaui, sed supra Leuces albi exoriuntur lanugini similes. Insuper in Leucis cutis est magis depressa, & versus inferiorem partẽ magis fixa, & effossa, quàm cutis reliqui corporis: In alphis verò, si aliquando fit depressio, defossioq;, illa est valde parua, quia summam duntaxat cutẽ obsident; Leuce verò altius descendit, & cutim totã pręhendit. Adhæc in alphis, si pungatur locus cum acu, ex eo sanguinem extrahit; in Leucis verò non sanguinem, sed humiditatem aquosam educit. Propterea alphorum albę maculæ sunt inuicẽ seiunctæ ac discontinuatæ; in leucis sunt continuatæ, ita, vt sese in omnib. ferè locis contangant, ac inuicem copulentur. Videtur præterea & interdũ vitiligo quędam rubro, fusco, aut liuido colore, cuius sensus aut perit, aut stupidior est, hocq; genus vniuersum Iuniores malũ mortuum vocant. Hæc vitia peculiaria ijs sunt, quorũ malus est habitus: Omnium quippe efficiens causa est humoris impuritas; sed alphi albi, & leuces crassa, ac viscida pituita; nigri alphi bilis atra, cæterorũ humor fędo colori consentaneus. Est autẽ omnis Vitiligo affectio quidẽ fęda, ac corporis superficiem deturpans, non tamen vitæ periculũ minatur. Dum autem malũ ab hepatis fit imbecillitate, deterius est, & minus curabile, quàm illud, quod fit ex imbecillitate alteratricis virtutis mẽbri, in quo est. Clarum est aũt alphum minus difficulter curari, quàm leucen: Vnde alphus, etiã si antiquus sit, minus difficulter curatur, quàm leuce, quę antiqua non sit. Cum autẽ leuce fricatur, & non rubescit, & dum vlceratur, pungiturve, non tamen sanguinem eijcit, praua est, & incurabilis. Similiter quæ magnũ locum obsidet, aut antiqua, protractaq; est, & à qua post puncturam cum acu, aquea humiditas exit, vt testatur Serapio, insanabilis est. Ex Auic. verò illa, quæ submersa est, & non rubet, neq; sanguinẽ emittit, & magnum locum occupat, & singula hora incrementum suscipit, nullam

habet

Marginalia: *Galen. 3. de sympt. caus. in fine.* — *Arist. 10. probl. 4.* — *Alex. 2. probl. 42.* — *Auic. 2. primi doc. 1. in fine.* — Causæ materias mouentes. — *Hipp. 3. aph. 20.* — Signa. — Prognostica.

habet salutis spem. Eius enim intemperies fortis ac vehemens est, & omne id alimentum, quod ad ipsam venit, ad suam similitudinem conuertit. Et ob id est valde praua. Idcirco nos admonent auctores ex Galeni auctoritate instructi, vt quotiescunque ad nos accedit aliquis vitiligine affectus, vtamur vehementi frictione, & pungamus locum cum acu, & si egreditur aquea humiditas, malum tanquam incurabile dimittamus; sin egrediatur sanguis, curationem aggrediamur. Alij iubent, vt affecta pars in duobus locis scarificetur, & si sanguis exeat naturalis, curationem suscipiamus: sin non naturalis exeat, malum prognosticis relinquamus: quia indicium est affectum membrum habituata intemperie, & virtute alteratrice prostrata, ac veluti emortua detineri, & subinde vitium esse incorrigibile. Scribebat quoque Paulus, quod leuce in se ruborem habens, si sit tenuis, modicæ expensionis, & modici sanguinis, aut habens colorem nubilosum, sanabilis est. Sed quæ accidit in manu, & pede difficilis est curationis. Patet autem ex dictis de causis album alphum facilius curari, quam nigrum. Quanto autem magis vitiligo (quæcunq; ea sit) fuerit propinquior reliquo corporis colori, tanto ęgrius extirpari poterit. Tandem scribit Aetius, quod si loci pilosi in hac affectione glabri reddantur, incurabilis euadit.

Galen. 3. de symp. caus. cit.

De Vitiliginis curatione. Cap. III.



CVM autem & vitiligo & leuce, vt Gal. testatur, sint ex eorum affectuum genere, quæ toto genere sunt præter naturam, & ex mutatione solidarum partium consistant, sicuti etiam myrmercia, & ossis caries, quam sphacelon vocant, & elephas, & scabies, & lepra, clarum est hæc omnia sui eradicationem indicare. Ne verò alphi leuceque rursus gignantur, oportet frigidum, & crassum, ac viscidum humorem ad affectam partem fluentem, & iam influxum euacuare, ac reuellere, & ne rursus generetur, inhibere: & quia ab influente hoc humore frigida parti affectæ intemperies inuritur, oportet intemperiem hanc calorificis auxilijs submouere, & partem affectam roborare, ut scilicet eius alteratrix facultas suo munere probè fungatur. Prauis autem succis iam influxis euacuatis, circa prauum affectæ partis colorem, nil aliud agendum: quia prauus color statim delitescit. Quantum spectat ad præsidiorum materias, phlebotomia & venæ sectio solum in alpho nigro ab auctoribus probatur, eodem prorsus modo administrata quem in Græcorum lepra percuranda proposuimus, propter causam, quam ibi adduximus. Quo etiam in loco alphi nigri curatio tota perquirenda est. In albo autem alpho, & leuce auctores huius præsidij mentionem non fecerunt, eò, quia in hoc vitio sanguis, & loci affecti calfactio potius desiderantur: & in corpore frigidi potius ac crassi, viscidique succi peccant. Pro quorum apparatu, & ex calfactione, incisione, abstersioneque laudantur syrupi de betonica, mel rosatum, de duabus radicibus, byzantinus, de quinque radicibus oxymel simplex, & compositum, syrupus de stœchade, & id genus alij, cum similibus decoctis, vel aquis stillatitijs. Quibus ad eductionem probe apparatis, poterunt deinceps expurgari ijs pharmacis, quæ ex agarico, ex hieta colocyntide, & alijs pituitam expurgantibus componuntur. Quæ tamen expurgantia, ut nos admonet Auicennas, nullo pacto propinanda sunt, nisi causa antecedens, & crassi ac viscidi, & pituitosi succi in venis reperiantur. Si enim corpus mundum sit, ait ipse & complexio corporis æqualis, purgantia hæc omnino fugienda sunt, quia noxia sunt, & sanguinem minuunt qui tamen adeo in his affectionibus desideratur. Causa uerò & materia, quæ in loco affecto est, & causa contentiua dicitur, ab his purgantibus nullo modo expurgari, & ab ambitu cutaneo, & cuti subiectis carnibus, & uenas trahi, & per ventrem euacuari potest. Ob id scribebat Rases, quod maior pars huius passionis est in locis, in quibus non potest agere potus medicinalis. Idem verò in alpho albo & leuce maximè probat diuretica: quia sanguinis aquositatem valde imminuere possunt. Auicennas insuper probat, ut administrentur vomitoria, post quæ vtebatur Diureticis, & demum purgantibus per inferiora, & præsertim hieris magnis potissimumque de pulpa colocynthidis, & similibus catapotijs; dummodo praui humores in intimis corporis partibus latentes adsint. Is demum scribit,

Gal. 14. meth. 17. & li. de diff. mor. 8.

Indicationes.

Curatio. Chirurgia.

Pharmacia. Purgantia, & Præparantia.

Diuretica, & Vomitoria.

Alterantia.

ſcribit, quod potus theriacæ, eiuſque carnis viperinæ, necnon tyrij trochiſci maximè conferre poſſunt. Poſt adhibitam purgationem, dum ſcilicet neceſſaria eſt, ad localia debemus confugere medicamenta: ſed ante ipſorum applicationem duo imprimis notanda ſunt, primum, vt ad hæc non deſcendamus, niſi fuerit ſalutis ſpes, quia ea non ſunt fruſtra infamanda præſidia, quæ multis fuere ſaluti: Secundũ eſt, vt antequam hæc admoueantur, affectus locus ad hæc cum vſu ſuſcipienda, optimè præparetur. Quocirca pars affecta vel prius optimè fricetur aut pannis aſperis, aut folijs ficus aridis; vel, quod efficacius adhuc eſt, frequentibus inciſionibus ſcarificetur; ad hoc ſcilicet ut medicamina facilius, intimiuſq; permeent, & efficacius agant. Qua etiam de cauſa iubebat Auicennas vt pharmaca hæc ad ſolem applicarentur, eò; quia ſic magis actuantur, ac penetrant. His obſeruatis, in alphis albis, ac leuce, topica, vt in lepra etiam annotauimus, poſſunt eſſe vel fortiter abſtergentia, & diſſecantia, vel fortiter reſoluentia, & diſcutientia: uel bonum ſanguinem ad affectum locum trahentia, & rubificantia: vel veſicantia, & vlcerantia, cauſticamq; vim habentia: ita tamen, ut in leuce validiora, & quæ magis permeare poſſint, vſurpentur, quam in alpho. Verum in horum adminiſtratione illud obſeruandum erit, vt primum à leuioribus inchoemus, & ſubinde primo abſtergentia; deinde, ijs non proficientibus, reſoluentia, ac diſcutientia, & demum rubificantia, & alia validiora iam propoſita admoueantur, ſiue hæc in forma emplaſtri, ſiue puluerizata, & affricata adminiſtrentur. Vbi enim quis omne aliud medicamentorum genus expertus ſit, non debet rubificantia, & veſicantia, ac validiora quoque auxilia formidare. Eo autem tempore, quo topica vſurpantur, danda opera eſt, ut conſulit Auenzoar, vt iecur corroboretur, & impinguetur, tum intus aſſumptis, tum extrinſecus admotis. Quocirca poſt antecedentis materiæ eradicationem diſcuſſionemq; iecur attemperari impinguariq; debet, nedum medicamentis ab ipſo deſcriptis, verum etiam triphera ſine epithymo, addito zingibere, aut alijs rebus aromaticis aperiendi vim habentibus cum aliquali amaritudine. hæc enim in alba vitiligine maximè proſunt: Sicuti in nigro alpho debent vti potiſſimum ipſis ſpeciebus diarhodonis Abbatis in rotulis cum ſaccaro, vel ad electuarij formam redactis, & exhibitis; quia pro iecore roborando præſtantiſſimæ ſunt.

Topica.

Partis præparatio ad ſuſcipienda localia.

Notãdum.

Tempore localiũ iecur corroborandum.

In abſtergentium itaque numero ſunt ſtaphis agria, lupini, gentianæ radix, ac capparorum, folia fici tum arida, tum viridia, orobum, radix aſphodelorum, amygdalæ amaræ (vt Galen. docet) aceto maceratæ, & id genus alia. Alyſſon verò eò, quia, ait Galen. facultatem habet mediocriter ſiccificam & digerentem, cum hoc, ut abſterſorium nonnihil etiam obtineat, vitiliginem, & ephelin expurgat. Fortiter autem reſoluentia ſunt vtrumque veratrum, nigella, quam melanthium Græci vocant, condiſi, ſulphur, laureola, rubea tinctorum, pyretrum, piper, caſtoreum, radix cucumeris aſinini, cœpæ narciſſi, gingiber, ſemina cauliuur, erucæ, harmel, ſauina, ariſtolochia, flos papaueris rufi, bryonia, cardamomum; & ſimilia, quæ etiam ſanguinem attrahere valent. Verum Raſes ex Galeni conſilio ad ſanguinem attrahendum maxime probat ſolatrum ſylueſtre: quia ſi eo illinitio fiat, attenuat, & non ulcerat. Is etiam ſcribebat illinitionem factam cum cæpis tritis in aceto alphum ſtrenuè eradicare. Oribaſius extollit ſtercus ſturnorum, qui ſola oryza fuerint nutriti. Quæ verò non ſolum uehementer diſſoluunt, verum etiam ſanguinem ad cutem attrahunt, ſunt dropacia vocata pharmaca, nitrum, aphronitrum, adarce, alcyonij genera; & auripigmentum: Celſus vtebatur ſulphure, thure, & lenticula aceto maceratis. Sed in rubificantium, & veſicantium numero ſunt præterea anacardus, thapſia, ſinapis; lepidium, iberis vocata, lac ficus, euphorbium, lac tithymali; radix aſphodelorum; cœpe album, bulbus, radix henulæ, & folia eius; arſenicum, chalcanthum, cantharides, calx viua; qua quidem cum aqua ſubacta Hippocrates vtebatur. Veruntamen cantharides, arſenicum rufum, album, & citrinum, chalcanthum, calx viua, & id genus alia in exulcerantium potius numero recenſeri debẽt. Peculiariter vero Dioſcor. probat radicem dracunculi tritam, & mixtam cum aceto, & ſuperlinitam: quod quidem remedium Galen. à Dioſcoride mutuauit, dum dixit, quod expurgat dracunculi radix, extergetque profectò ſtrenuè, tum alia, quæ exterſionem deſiderant, tum vitiliginem cum aceto. Et idem Gal. de althææ radice & ſemine confirmauit: quia exterſoriam facultatem cum habeant, vitiligines detergunt. Rufus vero laudat bulbum narciſſi tritum cum aceto, quia vehementer abſterget. In albo autem alpho experientia valde probatum eſt ſulphur album infuſum in aquoſitate

Abſtergentia.

Gal. 6. ſimp.

Sanguinẽ attrahentia & Rubificantia, ac veſicantia.

Exulcerantia.

Hip. 2. Epid. ſec. 5.

Compoſita pharmaca.

Gal. 6. ſimp.

lactis

lactis ualde acidi, si eo illinitio fiat, aut etiam aquositate illa. Alij in eodem extollunt sanguinem serpentis nigri illinitum. Verum Rases, & Auicenna accipiebant fumiterræ sicci vel recent. quant. suffic. & scindebant serpentem secundum longum, & eo euiscerato, replebant eius ventrem fumoterræ iam dicto, & deinde suebant eum, & assabant supra carbones, donec unà cum eo fumusterræ bene coqueretur; & ad locum affectum in modum emplastri admouebant, & uno die, aut biduo leucen sanabant. Tradit autem Mesues radicem cucumeris asinini cum aceto forti superfricatam alphum tollere. Idem præstare aiunt quidam puluerem cornu vaccæ cum aceto mistum. In alpho verò albo Rhases probat illinitionem cum sinapi, thapsia, succo scyllæ, & sulphure. Dum verò antiquum malum est, fiat illinitio in sole cum sulphure, chalcantho, & nitro tritis in aceto. Nonnulli verò in alpho abluunt locum affectum cum vino in quo chelidonium, aut radix lapatij acuti prius incocta sit, & postea illinunt hoc vnguento: Recip. succi chelidonij, lapatij acuti, fumiterræ, enulæ campanæ, & scabiosæ, adipis gallinę, vel anseris, argenti viui extincti, & sinapis quantum sufficit. Theodoricus scriptum reliquit, nobilem quandam mulierem Pisanam omnes alphos hoc modo curasse: Primum affectum locum cum aqua frigida decies lauabat; postea hoc vnguento vngebat: Recipe cineris serpentis combusti in olla noua bene cooperta vnc. j. lithargyrij vsti, gallarum, radicis flammulæ, solearum antiquarum, plumarum nigrarum gallinæ, omnium combustorum ana vnc. j. arsenici, calcis viuæ, argenti viui ana drach. ij. conficiantur omnia cum aceto, & fiat sicut vnguentum, quo quidem locus bis, aut ter, uel pluries, si expedit, vngatur. Post mittatur ad balneum, & dum balneum ingreditur, liniatur cum psilothro facto ex quatuor partibus calcis, & una arsenici coctis cum aceto, & aqua, & postquam aliquantulum in balneo sudauerit, lauetur cum aqua, & sanatus erit. Quidam tamen magis probant, ut prius in balneo liniantur cum psilothro iam dicto, & postea in exitu balnei cum illo vnguento liniantur. Istis non conferentibus Guido ex aliorum quoque sententia iubet, ut locus cum cantharidibus, & arsenico curetur, præsertim in leuce, & infectione profunda. Cauterium autem actuale Auicennæ auctoritate, ne turpia vestigia, & cicatrices remaneant, omnino deuitat. Dum itaque alia in cassum adhibentur, ad Vesicantia confugiendum est: Quorum quidem adhibendorum duo sunt modi: Vnus est, vt detineantur in parte, donec cutis vratur, & abscedat: qua separata, sistitur paulatim, quousque pars illa videatur recreata. deinde iterum adhibentur Vesicantia, idque pluribus vicibus efficitur. Alter modus est, ut vesicantia solum in parte detineantur, quousque mordicationem aliquam inducant: qua inducta, auferuntur, & sistitur, donec omnis mordicatio cessauerit, & iterum admouentur. & usque ad mordicationis sensum detinentur, ac denuo auferuntur, & ita sæpius efficitur: hicque secundus modus magis probatur: quia leuiter ad affectam partem sanguis attrahitur, & turpis cicatrix non relinquitur. Sciendum tamen, quod in leuce vesicatorium diutius est dimittendum, quàm in alpho, ut scilicet actionem suam profundius imprimat: & reiterari debet pro necessitate, donec auferatur materia eius tota: Consulunt autem quidam ut post vesicationem abluatur locus cum aqua decoctionis fumiterræ, cyperi, & florum chamæmeli. Simili modo post vsum vesicantium semper pars lacte madefacienda, ut extraneus calor impressus ab eo tollatur. Dum autem malum alijs id genus, & iam dictis validissimis præsidijs remoueri non potest, aut hæc valentia patiens non admittit, auctores ad curationem, quam palliatam vocant, seu affecti loci tincturam confugiunt. Ideo Auicenna hac utebatur: Recip. lithargyrij, calcis, gallarum, alcannæ, tragacanthi ana: conficiantur cum melle, & aceto nigro, & fiat linimentum, quo locus liniatur. Alij album alphum, & leucem illinunt cum succo corticum nucis viridium expressorum, quem dimittunt, donec incrassetur, deinde illinunt, & non lauant, atque hoc sæpe faciunt: quia optimè tingit. Oleum autem fraxini alphum album soluit, & ipsum pilosum denigrat. Debent autem, qui vitiligine laborant, nedum aerem frigidum, & humidum, & tristitiam, moeroremq; verum etiam quietem, & otium superfluum, necnon etiam immodicã exercitationem, ac balneũ, frictionemq; post repletionem euitare. Nã sępe passio hæc, vt superius scripsimus, sequitur ex balneo, aut frictione corporis cũ abstergẽtib. cutẽ post corporis repletionem, eò, quia crudæ superfluitates ad cutem trahuntur, quarũ ea portio, quæ sub cute retinetur, maior est, quam illa, quæ resoluitur, & pro superfluitatis attractæ natura, hæc uel illa vitiligo, aut leuce procreatur. Si-

Theodorici vnguentum.

Modus vtẽdi vesicante.

Curatio mendosa.

Victus ratio.

tur. Similiter ficuti fomnus fuperfluus nocet eò, quia corpus refrigerat; ita ingens vigilia, quia calorem innatum refoluit, noxia eft. Veruntamen plus eft dormiendum, quam vigilandum; quia, ita fcribente Galeno, nihil crudos fuccos æquè concoquit, ac fomnus. Iubet infuper Serapio, vt fugiantur frigida & humida alimenta, qualia funt pifces, olera, fructus humidi, & præfertim fuilla caro; nec non ea, quæ difficilis funt concoctionis, uti præfertim eft frumentum coctum, pulmenta, rhyemata, lagana, pultacea, & omnia itriorum genera, ac lacticinia, præfertimque cafeus. damnat etiam Paulus vnctuofum alimentum; ficuti Rhafes dulcia, & nimis acetofa improbat. Qui quidem vna cum Auicenna laudant cibum facilis coctionis, & velocis digeftionis, in quo non fit vifciditas, nec vnctuofitas, fed potius ficcitas, & Paulus in potu exhibebat vinum potens, ac vetus. Ex Rafe verò concedendi pafferes frixi, & affi, necnon etiam aliæ auiculæ montanæ. idcirco Auenzoar præbebat carnes turturum, tanquam exiccantes. ita laudantur perdices, parui pulli affi, & omnia, quæ exiccare, & probos, tenuefque fuccos gignere poffunt. Aquæ autem potus omnino euitari debet, quia valde refrigerat, & humectat, ac vifcera imbecillia magis labefactat. Quantum attinet ad inanitionem, & repletionem, auctores laudant copiofum in balneo fudorem, & exercitium in ijs, in quibus nimis aquofus fanguis abundat. Serapio probat vomitum, fi interdum poft cibum prouocetur: quia crudi fucci in ventriculo exiftentes, qui quidem Vitiliginis antecedens caufa funt, euacuantur. Coitus autem noxius cenfetur, præfertim à cibo, & non ieiuno ventre, & hæc in albo alpho, ac leuce intelligenda funt.

Galen. 4. de fant. tuen.

De Panis, ac confimilibus faciei maculis, fœdifque coloribus, & medicamentis probum, viuidumque colorem, & cutis nitorem inducentibus. Cap. IIII.

Gal. 7. fimp. fer. de cofto, & de braffica.



PANVS, qui Ephelis à Græcis dicitur, apud Iuniores eft lata, expanfaque, ac fuperficialis cutis macula, à prauo fucco à prædominio melancholico, fummam cutem, ac præfertim epidermidem inficiente, procreata. Eft enim contracta, ut Galenus habet, veluti ex fole macula. Cuius differentiæ à loco ipfo affecto, & à vario colore præter naturam præfertim capiuntur. Quamuis autem quamcunque corporis particulam panus inficere poffit, ac præfertim inguina, abdomen, dorfum, collum, & mediam pectoris regionem; nihilominus ut plurimum ipfam frontem deturpat, eamque femper fufcedine quadam, fed modo fub rubra, ad nigrumque vergente, modo fubcitrina, nonnunquam alio vitiofo colore commaculat, prout prauus fuccus, qui quidem huius mali contentiua caufa eft, & à prædominio melancholicus, cũ hoc, vel illo humore commixtus eft. Diftinguitur autem panus ab alpho nigro, qui Melas dicitur eò, quia panus latior eft, ac magis expanfus, ac fuperficialis, & omnis prorfus afpredinis, ac duritiei expers: & fi digito prematur, prauus color fubterfugit, fed amoto digito ftatim recurrit. Quibus etiam à Lentigine facile feiungitur: quia hæc, vt eius nomen fonat, exigua admodum eft; ille palmæ interdum magnitudinem æquat. Panus infuper ab Ecchymomate differt nedum enumeratis iam differentijs; verum etiam, quia præter id, quod colorem non ita liuidum, aut nigrum, vel obfcurum habet, folum ab interna oritur caufa: Ecclymomata verò, & fuggillata ab externa caufa, & contufione ipfa ortum ducunt. Solet autem vitium hoc mulieres præfertim prægnantes corripere, ob menftruorum fcil. ceffationem, vi cuius excrementa melancholica in corpore colliguntur, & è vifceribus in cutem effunduntur. Quinimo etiã in alijs quibufdam temporibus & oriuntur pani & definunt. Qui quidem ut tollantur, oportet prauos fuccos in corpore collectos, & antecedentẽ caufam expurgare, auferre atq; à capite reuellere, & eos, qui in partẽ affectã defluxerunt, abftergere, atq; difcutere, & cutem ipfam, ne in pofterum ita facile fufcipiat, corroborare. & fi cutis facile fufcipiat ꝑpter intemperiem calidiorem, & humidiorem, hæc intemperies procul dubio cõtrarijs corrigenda eft. Verum qm̃ in prægnantibus vniuerfi corporis expurgationẽ, euacuationẽq; fere præmittere nõ licet, idcirco ijs auxilijs pofthabitis, auctores folis localib. cõtenti funt, & interim in primis ꝑfertum geftationis menfib. vomitu ipfo, fi is difficilis

Natura. *Differentiæ & caufæ.* *Signa.* *Prognoftica.* *Indicationes.* *Curatio. Vniuerfalia.*

difficilis non sit, ventriculum ipsum expurgant. Nam facilis vomitus præter id, quod vniuersum corpus à prauis superfluitatibus immune reddit, abortus periculū non efficit. Galenus itaq; de Topicis auxilijs, quæ maculas has submouere valent, sermonē habens, costum, eiusq; oleum probat: quia propter modicam amaritudinem, & acrem ac calidam, quam in se plurimam habet, qualitatem, & detergere, & ex alto ad superficiem extrahere plurimum valet. Sed ad contractas velut ex sole maculas, quas Ephelidas Greci vocant, magis probat Costum à nobis cum aqua, aut melle vsurpari. Idem Galenus laudat semen brassicæ, & potissimum Aegyptiæ, quia temperatura siccior est. Cum enim amaræ qualitatis particeps sit, ephelidas, & lentes, & quæcunq; modicam abstersionem postulant, adiuuat. Is pariter sepiarum testam quia admodum laxa est, non, vt ostreorum, lapidosa, maxime probat. Nam abstersio, inquit ille, illi cum alijs ostracodermorum testis communis est, velut etiam desiccatio: Cæterum partium tenuitas eximia illi præ cœteris inest. Quocirca vsta ea vtimur ad vitiligines ephelin, lentes, ac psoras. Amygdalæ quoq; amaræ, vt idem testatur, ob eādem qualitatem, ephelin expurgare valent. Verum ad prauos succos expurgandos, incidendosq;, & cutis meatus contrahendos, constipandosq; & roborandā ipsam cutim, Gal. glandem vnguētariam, eius scilicet carnē summopere probare videtur. nam balanus myrepsica, scribebat ipse, hoc est, glans vnguentaria, adfertur ex Barbarica regione. Vtunturq; vnguentarij carnis eius succo, qui facultate calidus est. Reliquiæ autem, vnde expressus est succus, terrestres scil. ac duræ, vincentē habent qualitatē amaram. sed & admista est quædā adstrictio. Proinde extergētē simul & incidentem, contrahentemq; & stipantem effectum possident. Itaq; ad ionthos (quos vulgus cossos vocat) lentes, ephelin, & pruritum, deinde & ad psoram, & ad lepram conueniunt. Gaudet verò pharmacum hoc vel maximè alioqui aceto ad actiones extrinsecas. Adeo enim efficax efficitur, vt & psoras & lepras extergeat, & multo etiam magis, quæ his sunt minora, lentes, vitiligines, ionthos, ephelin, exanthemata, achoras, tum vlcerosa, & quæ crassi sunt succi omnia: sed & cicatricib. decorem affert. Hæc Gal. Qui pariter tradit, vitis agrestis racemos extergendi vim habere, vt ephelin, & næuos, & id genus omnia in extima cute existentia, curare possint. Vt autem alij tradunt, vitellus oui assatus tritus, & faciei admotus, eam abstergit, omnemq; maculam ab ea vtiliter remouet. Idem præstat oleum de vitellis ouorum, & fel gallinæ, & saliua matutina; & radix bryoniæ, aut iridis trita cū oleo, & applicita; & aqua casei illinita. Similiter sanguis leporinus inunctus maculas nigras, & pessimas abijcit. Et idem facit sanguis tauri: & aqua sublimata de folijs, & floribus bryoniæ. nam nigras maculas, ac pessimas, lentiginesq; delet. Absynthium quoq; cum melle mixtum omnes maculas faciei fugat. Ita aqua sublimata ex floribus fabarum faciem, omniaq; membra detergit, attenuat, ac clarificat, si ea abluantur. sed præ ceteris biliosas maculas remouet. Succus etiam cyclaminis illinitus ad tollendas maculas, & faciem lucidam reddendam, vtiliter adhibetur, sicuti etiam aqua sublimationis caprifolij faciei detergendæ opitulatur. Si verò de compositis medicaminib. fiat sermo, ad panos, maculasq; faciei delēdas, quidam vtuntur aceto, in quo dissolutū fuerit lithargyrium, & deinde cum aqua salsa mixto, vel cum aqua ita parata: ℞ Tartari combusti lib. j. mastiches vnc. j. camphoræ vnc. ß. terantur, & cum albuminibus ouorum incorporentur, & in elambico posita destillentur. Alij solo oleo vel aqua tartari, aut oleo de frumento vtuntur. Nonnulli faciem hoc vnguento illinunt. ℞ olei amygd. dulcium vnc. j. mellis vnc. iiij. iridis drach. ij. borracis drach. ß. incorporentur, & fiat vnguentum. Aliud ℞ lithargyrij lib. j. tere subtilissimè, & decoque in lib. ix. optimi aceti vsq; ad consumpt. tertiæ partis: postea permitte refrigerari, & cola per filtrum: Deinde ℞ salis gemmæ vnc. j. decoque in lib. ix. aquę clarissimę ad consumpt. tert. partis, & permitte refrigerari, & cola: Postea Recip. prædictæ aquæ part. ij. prædic. aceti part. j. & misce: quia congulabuntur simul, vt lac: quod ideo à Guidone, & nonnullis lac virgineum vocatur, & plurimū extollitur. Si enim male colorata pars hoc sæpe illinatur, panus, & omnis macula, & serpigo, vbicunque fuerit, omnimodè tolletur. Quidam autem ex Arabum classe, ad faciem abstergēdam, illinitione cum fabis, lupinis, orobis, seminibus melonis in cineribus excorticatis, & amido cum aqua vtebatur. Ioannitius praua, ac turpia faciei vitia hac illinitione fugabat: ℞ amygdal. excorti. numero vj. thuris albi drac. j. saccari quantitatem competentem; illine cum ijs per dies septem. Rases ad albificādam, abluendamque faciem, & etiam ad guttam rosaceam delendam hoc linimento vtebatur: Recip. farin. ciceerum, fabarum, hordei, amygd. excortic. tragacanth. ana part. j.

Topica.

Gal. loc. cit.

Gal. 11. simpl. ferm. proprio.

Gal. 6. simp.

Gal. 6. simp. ser. de balano.

Gal. lib. cit. ser. prop.

Composita medicamēta.

ana part. j. seminis raphani part. s. fiat pulu. qui dissoluatur cum lacte, & hoc pharmaco noctu facies illinatur, & mane cum aqua furfuris abluatur. Ad faciem verò & corpus splendidum reddendum, ab ipso Gal. probatur cucumis, quia abstergendi, & incidendi ei facultas inest ac magis quoque si quis semine arefacto, contusoque ac cribrato vice pulueris abstersorij vtatur. Quod quidem à Diosc. ipso prius fuit memoriæ proditum, dum scriptum reliquit, quod cucumeris succus cum semine, adiecta farina, siccatus in sole cogitur in smegmata, quæ faciem repurgant, & nitorem afferunt. Gal. de eadem re verba faciens, terrestrium crocodilorum, inquit, horum inquam exiguorum & humi serpentium stercus preciosum effecere mulieres deliciosæ, quibus non est satis, quod alia sint medicamenta tam multa, quibus faciei cutis & tensa, & splendens efficitur, quin etiam adiungant stercus crocodilorũ. Simile illi fit & sturnorum stercus, cum solam oryzam ederint. Abstergendi enim & desiccandi facultatem habent moderatam vtraq; hæc stercora, & multò moderatiorem & hebetiorem stercus sturnorum. At stercus crocodilorum sicut à facie ephelin tollit: ita & vitiliginem, & lichenas. Cutis autem faciei & aliarum partium asperitatem remouet oleum amygdal. dulcium, & oleum de frumẽto. Optime quoque confert ad idem, si, facta prius fomentatione, humectationeque cum aqua calida, postea illinatur locus fricando cum puluere pumicis vsti, vel non vsti mixto cum melle. Aliud bonum: Recip. ceræ, pinguedinis hirci ana lib. s. medullæ ceruinæ vnc. ij. olei violati vnc. iij. liquefac ad ignem, & ijs liquefactis, ac ab igne depositis, misce quatuor vitellos ouorum, & postea incorpora cum eis myrrhæ vnc. semis, & vtere. Asperitatem verò à sole vel vento factam submouet vnguentum hoc: Recip. sepum ceruinum & fac bullire in aqua, & liquefactam super aliam aquam cola, & deinde manibus agita, deinde terendo in mortario vnc. j. crystalli pulueriz. cum eo exactius misce & vernicis & cerussæ ana vnc. sem. & vtere. Si qui sautem faciem, & manus à Sole, Vento, & frigore custodire cupiat, vtatur illinitione Auicennæ facta cum albumine oui, aut cum aqua gummi Arab. vel tragacanthi, vt etiam scribit Rases. nam Tragacanthum dissolutum cum ouorum albumine, & ipsa albugo adustionem solis, & uenti iniuriam prohibet. Ita adeps ceruinus solis vstionem inhibet, & factam remouet. Alij infundunt similam in aqua, & colant eam, & postea ipsam cum æquali portione albuminis ouorum permiscent, & faciem illinunt, ubi ipsa à Sole, aut vento exusta, aut oblæsa fuerit. Verum quoniam præter panos, alij quoque praui faciei colores ipsam totam sæpius deturpant, ac odiosam reddunt, ita ut miseræ coniuges hac de causa maritis contemptui habeantur, idcirco, ut ab eorum molestijs eripiantur, amabilesque reddantur, liceat his, quæ descripta sunt, alia quædam prauos colores corrigentia pharmaca subnectere. Illud uerò ante omnia supponere debemus, quod si prauus faciei color causa alicuius ægritudinis in corpore existentis proueniat, illa procul dubio submouenda est. Pariter, si talis fiat ob sanguinis vitium, aut cum vitioso aliquo succo permixtionem, ille purgandus est, ac corrigendus. Vnde Auic. in hoc casu triphera minori, & myrobalanis utebatur. Nam myrobalani chebuli, ut alij tradunt, colorem magis rubicundum reddunt, quam triphera. Sin autem id accidat eò, quia sanguis in corpore paucus sit, aut crassior, oportet laudabilem sanguinem optimi succi cibis procreare, & tenuem reddere, & ea, quæ ipsum ad cutim diffundant, exhibere. Probum verò ac tenuem sanguinem gignunt, atque multiplicant optimi cibi, tenuisque substantię, ea quantitate, ordine, tempore, & arte assumpti, vt optime tum concoqui, tum distribui possint. Tales præ ceteris sunt cicer, aqua carnis, & iura optima, oua sorbilia, & vinum odoriferum. Inter ea uerò, quæ ad venustam faciem reddendam expertissima sunt, vt aiunt Ras. & Auic. est, vt bibatur diebus continuatis ieiuno ventre & in mane vinum, & lac. Similiter, vt idem Auic. scriptum reliquit, in dactylis, & caricis est proprietas gignendi sanguinem tenuem, ipsumque ad cutim impellendi. Idem faciunt piper & ciperi, dum cibaria ijs condiuntur, necnon crocus cum vino coctus, multus tamen croci vsus sanguinem tingit. Hyssopus quoque sicca sumpta cum vino sanginem purificat, & ad exteriora deducit, & colorem subinde clarificat. Vel Recip. hyssop. drach. ij. croci drach. sem. saccari q. suff. misce, & hoc cibaria condiantur. Rufus aiebat frequentem caulium comestionem colorem venustum reddere; Sed apud Aeginetam optimi vini potus probum colorem efficit. Qui etiam inquit, quod hiera picra, & gummi cerasorum si mane sumantur cum vino lymphato, malum colorem emendant. Quando verò propter frigiditatem obstructionesque venarum in facie color accidit prauus

confert

Gal. 8. simp. pharm. — Dioscor. lib. 2. c. 128. — Galen. 10. simp. in fin. — Ras. 16. cõt.

Ad faciei nitorem conciliandum. — Ad cutis asperitaté. — Custodiens faciem à vẽto, & frigore, & sole. — Ad alios prauos faciei colores.

confert assa fœtida mane cum ouo serbili ad ciceris quantitatem assumpta. Calfacit enim & aperit, & sanguinem ad cutem defert: Alij ad colorem venustandum, cum aqua granatorum dulcium, eam ad potandum exhibent: Ad faciei verò corporisque colorem componendum vtile est electuarium hoc: Recip. rorismarini, & menthæ ana, confice cum melle despumato cocto, donec aliquantulum durum euadat. Quemadmodum autem inter animi accidentia ira sanguinem ad circumferentiam cito, & cum impetu mouet, quæ idcirco nonnunquam prouocari quadantenus debet: ita gaudium, lætitiaque paulatim id faciunt, & iugiter excitari debent. Vnde, ut quidam aiunt, gaudium, cibusque delectabilis vitiosum citrinumque faciei colorem adimunt. Mouet quoque sanguinem ad cutim exercitium temperatum, luctatioque moderata, cantilenæ, delectabiles operationes, & præ ceteris aspectus, obiectaque delectabilia, atque iucunda. Et idem de moderatis, arteque paratis frictionibus statuendum est. Qua de re Rasis nedum ipsis verum etiam rubificantibus, ac picationibus membrorum vtebatur, in quibus rubicundum colorem efficere expetebat: & insuper moderatos motus, ac suspensiones ijsdem iniungebat. Frictiones autem præsertim cum medicaminibus leuiter extergentibus adhibendę, & nonnunquam si membri dispositio id requirat, rubificãtibus. Abstergentia enim valde necessaria sunt, quãdo cutis sui natura valde crassa, aut sorde infecta est. Nam crassa cutis à sanguine alioquin probo ac copioso ægrè bonum colorem recipit. Ex ijs autem, quæ leuiter abstergunt, quæque delicatis corporibus, & iuuenibus conueniunt, communiter probantur colatura furfuris in ebulliente aqua positi; aqua calida, in qua hordeum confractum impositum sit; aqua decoctionis caricarum, ouũ coctum durum, totumque inter manus ipsas tritum; aqua lactis; pannus lineus leuis in aqua calida madidus; colatura infusionis farinæ fabarum, cicerum, ororum, oryzæ, lentium, vel amidi, & fricatio cum ficubus siccis, aut cum carne ostracorum, necnon fricatio cum dulcibus amygdalis vel amaris decorticatis, & alia id genus. Fortia autem detergentia sunt, olibanum, mastiche, rasura eboris, mel, gluten piscium, cortex oui, bdellium, iris, radix cucumeris asinini, medullæ seminum communium frigidiorum, radix serpentariæ, lithargyrium, nitrum, ossa uetusta, & similia. Sicuti mediocriter detergunt decoctio fœnigræci, meliloti, ungulæ vitulinæ, & os sepiæ spumæ supernatans in colatura aceti, in quo modicum cerussæ pulueriz. bullierit. Tradunt autem sapphyrum in annulo gestatum probum colorem præstarę; necnon eryngiorum radicem collo gestatam idem efficere. Qui etiam volunt gluten piscium in aqua dissolutum faciem lucidam reddere, & eius contractiones ex siccitate humectando tollere. Quotiescunque verò medicamenta fortiter sanguinem trahentia necessaria sunt, quæ faciei admouenda sint, prodest cœpe lilij, & eruca cum melle, & bulbus, & id genus alia. Sed hæc diutius non sunt dimittẽda, quia cutim vlcerant, & idcirco rubificantia hæc solum per sex horas dimittenda sunt. Dum verò vlcerare volumus, & excoriare cutem, longiori tempore dimittenda sunt. Hæc postea vlcera, eorumque vestigia tollunt illinitio ex lithargyrio, & vnguentũ de lilio magistrale. Dolorem uerò aut punctionem ab his medicamentis factam sedat illinitio ex succo radicum lilij misto cum crudo oui albumine, & oleo violato, nenupharino, uel papauerino. Cum autem mulier faciem decorare voluerit, prius ipsam foueat, detinendo supra vaporem aquæ; deinde abluat sapone dissoluto in aqua tepida elicita per destillationem florum fabarum, lilij, aut sambuci, uel labruscæ; & postea siccetur; & postea illinatur cum aqua, quam gumeream vocant, & per noctem dimittatur; mane autem abluatur cum aqua furfuris, aut violarum, stetque tunc facies per modicum temporis cum panno cooperta; & deinde si malarum poma colorare velit, illinat ipsa cum aqua, in qua modicum rasuræ ligni brisilij vocari sit temperata. Succus pariter radicis brusci inunctus rubificat: necnon rubrica, à Pharmacopolis Margara nuncupata. Alij ad idem probant radicem anchusæ. Sed in communi mulierum vsu est lignum illud, quod ex India affertur, & passim verzinum appellatur. Quædam utuntur cocco, grana vulgo dicto: Aliæ purpuram, aut ostrum adhibent, & huiusmodi pulueres oleo aliquo odorato excipiunt, & facie prius panis medulla detersa vnguenti vice illinunt. Lauatorium autem albificans ac faciem ualde venustans Rases hunc in modum literis prodidit; Recip. cimoliæ rotulum vnum, iridis vnc. j. nitri assi, cypressi & spicæ ana vnc. v. confice cum aqua rosacea vel frigida, & faciem illine. (vt in quoque dealbat lac asinæ; cerussa eliquata uel succo limonum, vel aqua lupinorum, aut etiam oryzæ, & stercus crocodilorum, aut sturnorum, qui oryza aliti fuerint. Hoc enim aqua eliquatum,

Abstergentia leuia pro delicatis corporibus.

Detergentia fortia.

Abstergentia mediocria.

Quæ faciẽ diuersimode colorãt.

Rases 25. cont.

eliquatum, si corpus eo fricetur album colorem inducit. Nostræ autem tempestatis mulierculæ vtuntur frequentissimè aqua facta ex argento sublimato unà cum aqua, vel succo limonum: Ex cuius importuno vsu sæpius læduntur, & immaturè rugas in genis contrahunt. Sed quia ipsæ fucis purpurissisque medicamentis stipatæ, ac refertissimæ sunt, Hæc, quæ à nobis tradita fuere, nedum satis fuisse, verum etiam à prudenti viro superflua forsitan censebuntur. Ex dictis verò victus ratio, quæ in emendandis vitiosis coloribus congrua est, satis superque patet. nam debet semper prauo humori improbum colorem efficienti aduersari, & nedum probum sanguinem multiplicare, verum etiam, vt dictum est, ipsum ad cutim moderatè digerere. Victus ratio.

De Lentiginibus, idque genus alijs cutis maculis, & Ecchymomate.
Caput V.

Halyab. 9. Theor.



ENTIGO ita nuncupata, quia cutis macula est adeo parua, ut lentis magnitudinem non excedat, ut testatur Halyabbas, à vapore sanguinis melancholici, & adusti cutim, epidermidemque potissimum obsidente proficiscitur. Hinc autem fit, vt quamuis lentigines & in manibus, & in pectore emergant, potissimum tamen in facie, & circa caput gignuntur: quia vapor hic adustus sui natura sursum petit, & faciem ipsam, caputque conscendit. Eadem ratione in rubeis corporibus, ac temperatura biliosis hæc vitia sæpissime proueniunt: in eis siquidem sanguis maximè aduritur, & in melancholicum vaporem facile conuertitur. Hac etiam de causa lentigines interdum hiemeque præsertim sponte delentur; æstate autem reuirescunt, ac crebrescunt. Et quia genarum partes alijs faciei partibus rariores sunt, ideo, quamuis ad eas plures adusti vapores perueniant; non tamen in ijs detinentur, sed facile euaporant, & subinde in eis lentigines non ita fiunt. Quia vero partes frontis sunt magis depressæ ac densæ, & vapores in eis non ita facilè recipiuntur, recepti tamen magis retinentur, idcirco in fronte quidem interdum, non ita tamen copiosæ exoriuntur. Cum autem partes circa nares existentes inter iam dictas penes raritatem, & densitatem medium locum teneant, ob id in eis plurimi vapores adusti tum recipiuntur, tum detinentur, & maximus in eis lentiginum prouentus conspicitur. Ob eandem causam præcipuè apparent quoque in collo, in gula, in superioribus thoracis partibus ac manibus, & summatim in omnibus ijs, quæ aeri expositæ, ac discoopertæ sunt, corporis particulis, quia ambientis frigiditas intrinsecus vapores detinet, atque coercet. Ex his quoque patet, cur lentigines multoties eos appræhendant, qui scissuris labiorum laborant. Nam propter siccitatem temperaturæ, inquit Auicennas, vapor siccus & adustus multiplicatur, ac sursum effertur. Quamuis autem tum lentigines, tum vari, tum pani, seu ephelides ex melancholico succo eiusque vapore è visceribus in cutem effuso oriantur: interdum tamen etiam peculiari cutis vitio & affectu contrahuntur, quo illius alimentum, etiamsi purum sit, corrumpitur, alienumque colorem subit. Cutis enim extrinsecus infecta suum pariter alimentum mutat, sicuti & maculæ ab ortu, primaque conformatione, vt signa quædam nobis inusta nulla possunt ratione deleri: & si nonnunquam obscurantur; tempore tamen virescunt, aliæ quidem cum maturis fragis aut cerasijs, aliæ vindemiarum; aliæ alio tempore, alioue cœli statu. Quinetiam vt exanthemata, ita etiam aliæ quædam maculę venenatæ qualitatis contagione sine pustulis efflorescunt tum coloretum figura varię, atq; etiam interdum inauditæ, idque vel aeris inquinamento, vel hausti veneni pernicie, vel virulentæ bestiæ morsu, quæ non nisi extincta venenata qualitate deleri possunt. Ecchymomate pariter cutis fœdatur (vt eius nomen sonat,) hoc enim est sanguinis copiam, aut tenuitatem, aut acrimoniam, vel anastomosi vel diapedesi reserantur, sed crebrius vel labore immodico, vel contusione ex ictu casuue rumpuntur. Ex his ergo sanguis effunditur non quidem vniuersus in vna parte in grumum coalescens, sed dispergitur per tenues particulæ meatus: Nisi tamen cito digeratur, hacque ratione vacuetur, per cutim effusus coit, modo cum leui tumore ac dolore; modo citra hæc, eiusque colore inficitur cutis. Primumque liuescit, ac tum affectio Pelioma Græcis nuncupatur: deinde & nonnunquam nigrescit, estq; tunc

Nomen & natura.
Causa.
Exanthemata.
Ecchymomata.

Melasmat

Melaſma: Vtraque nobis Suggillata dicuntur. His minora ſunt ſtigmata, minoreſque vibices, quales è flagellis relinquuntur. Quod ſi huiuſmodi vibices, ecchymomata communi vocabulo Græcis dicta ſub oculis inflicta fuerint, peculiari quodam & proprio nomine dicuntur à Græcis hyppopion, à loco videlicet, in quo affectus excitatur, qui omnib. manifeſtus fit. Dicitur enim hyppopion ideſt ſub oculo, à Latinis verò ſuggillatio. Vnde per quandam translationem ſuggillari dicuntur ij, quibus aliqua ignominia illata eſt. Sub oculo autem frequentiſſimè fieri ſolet, propter huius particulæ mollitiem, & teneritudinem. Quæ, etiamſi frons percutiatur, tamen poſt effuſum ſanguinem recipit. Ex harum autem macularum tradita deſcriptione atque natura, eæ facilimè cognoſcuntur, ac inter ſe diſtinguuntur. Nam lentigo lentis magnitudinis colore fuſco, crebris quaſi guttis diſperſa eſt, & his familiaris exiſtit, qui ruſo ſunt pilo, & vt dictum eſt, faciem potiſſimum, ac præſertim naſum, ac nonnunquam manus, ac pectus deturpat. Exanthemata verò in reliqua corporis cute, ac potiſſimum in dorſo, & prope iugula, ſeu clauicularum regionē apparent, de quorum colore, atque figura, fuſius in ſermone de peſtilenti febre loquuti ſumus; Diſtinguitur autem lentigo ab Ecchymomate nedum penes affecta loca, verum etiam penes macularum colorem, & denſitatem. Nam in Ecchymomate, quod ſanguinem mortuum, ſeu mortificatum Recentiores quidam vocant, ſanguis extra venas effuſus ſub cute craſſus, vnitus, & corpulentus apparet. In lentigine ſubtilis, vaporoſus, rarus, ac diſperſus cutim inficit, eius color ad rubedinem decliuis ſplendidus eſt. Iiſdem differentijs Ecchymomata ab Exanthematibus diſtinguuntur: quia hæc à ſanguinis vapore producta rariora, ac magis diſperſa ſunt, & tenuiora ſummam epidermidem inficiunt, Ecchymomata verò magis craſſa, ac denſa & vnita apparent. Quod quidem admonuiſſe præſertim voluimus, quia nonnunquam propter iecoris, & venarum imbecillitatem, per vniuerſam cutis ſuperficiem ſanguinis atri guttulæ ſub cute effunduntur (capillarium ſcilicet venarum orificijs relaxatis adapertiſque) à quibus maculæ quædam paruæ, rotundæque, non ita tamen, vti lentigines, crebræ in corporis ſuperficie producuntur, quas imperiti Medici peticulas, ſeu exanthemata peſtilentem febrem comitantia eſſe arbitrantur. Eorum tamen error facilè deprǣhenditur: quia hæ maculæ, quæ ſub Ecchymomate comprǣhenduntur, craſſiores, denſiores, nigrioreſq; ſunt, & ſæpius abſque febre conſpiciuntur, & cum nullum prorſus peſtilentiæ ſignum annexum habeant, Iecoris potius imbecillitatem, & cachexiæ principium inſequuntur. Quid autem in iam dictis maculis prædicendum ſit, quæque indicationes pro ijs ſubmouendis elici debeant, ex dictis in ſuperiori capite, & in tractatu de vulneribus in capite de contuſione, necnon in ſermone de peſtiferis febribus clarum eſt. Omnes enim Medici in hoc conueniunt, ait Galenus, quod quò citius ecchymomatis ſuggillationiſque curationem aggredimur, eò facilior euadit, quia non poteſt affectio curari, niſi effuſi ſanguinis euacuatione; ſed euacuari non poteſt, niſi digeſtione, & diſcuſſione. ſed ſanguis priuſquam in grumum cogatur, longè facilius diſcutitur. Quare primus ſcopus, & ſtatim inter initia exequendus, eſt diſcuſſio. Sed quia diſcutientia ſola in principio, cum nondum concreuit ſanguis, & pertuſiones ſunt apertæ, magis è venis trahere calfaciendo, quam vacuare digerendo poſſunt, ideo aliqua adſtringentia & repellentia digerentibus miſcenda, vt exituro ſanguini obſiſtant, donec venulæ ad naturalem ſtatum redierint. tunc uerò ſolis digerentibus curatio erit pertractanda. Localia quoque pharmaca, quæ panos; ſeu ephelidas in ſuperiori capite detergere, ac diſcutere poſſe narrauimus, eadem fere omnia lentigines auferre poſſe arbitramur. Scribit autem Auicen. folia mandragoræ ſuper lentigines, aut alia veſtigia fricata hebdomada una ſanare. Oleum quoque amydalarū amaratum inunctum lentiginibus conuenit: necnon ſiſymbrium coctum, vel crudum ſuperpoſitum. Idem facit ſuccus vngulæ caballinæ, quam farfaram vocant. Ita oleum de ſemine cotti inunctum utile eſt. Cortices inſuper pedum gallinarum, & pullorum admoti ab eis per interpoſitionem eorum ſub cineribus calidis, dum adhuc calidi ſunt, lentiginibus vtiliter ſuperfricantur. Stercus autem columbinum diſſolutum cum aceto & illitum lentigines impetigines, aliaſque maculas tollit. Radix etiam bryoniæ aſſa, & contuſa cum farina orobi, & fœnugræci incorporata, ac ſuperpoſita faciem à lentiginibus, ac omnibus maculis nigris detergit. Alij tradunt ſuccum pomi citrini lentigines, & impetigines deſtruere. Licet quoque puluerem facere ex radice dracunculi, oſſe ſepiæ, & olibano, & ex eo cum opus fuerit, cum pauca aqua ſubacto, ſero faciem, manus, & partes lentiginoſas

fricando

Signa.

Prognoſtica & Indicationes.

Localia ad lentigines.

fricando illinire, & mane cum aqua furfuris abluere. Alij decoquunt in aceto acerrimo semen sinapis, fel caprinum, & fel caponum, & vitellos ouorum, & sero partes affectas cum illo aceto lauant; mane autem easdem aqua calida abluunt, aut etiam cum dicto aceto. Ita potest inungi facies cum melle mixto cum puluere peucedani, & sic per diem & noctem dimitti, & postea cum aqua furfuris lauari. Prodest etiam succus serpentariæ siue dracunculi cum lacte asinæ, & sanguine passerinorum distemperatus, si eo lotio fiat. Vel Recipe amygdal. amarar. partes tres: seminis anguriæ partes duas: argenti viui extincti partem vnam. Mitte omnia in mortarium, & cum pistillo diutius terendo incorpora, & sero vnge, & mane cum aqua furfuris ablue. Nouos autem faciei, vt refert Gal. nonnulli radice polygonati detergunt. Chamæleonis quoque radix, vt idem ait, foris adhibetur ad psoras, lichenas, & vitiligines, & in summa ad ea, quę abstersionem postulant. Crudam autem ptisanam, eodem Gal. attestante, puerorum mangones conterunt, faciesque ad vitiosos cutis colores exterendos illinunt. Similimodo fabarum farina, vt idem scriptum reliquit, sordes à cute detergit, quod mangones, ac mulieres intelligentes, in balneis quotidie ea vtuntur, quemadmodum alij nitro, atque aphronitro, & in summa detergentibus. Hac præterea & faciem inungunt, quemadmodum ptisana. tollit enim lentes, quæ in summa cute apparent, & quam uocant ephelin. Vniuersa quoque peponum genera ex eiusdem auctoritate, abstergendi facultatem habent. Quod porro intelliges si sordidam cutem ipsis fricueris. Quamobrem, si quis ephelin (nostrates panum vocant) aut lentes in facie habeat, aut alphos extimos, & in superficie, hos quoque detergent: semen tamen potentius, quam ipsorum velut caro, deterget, adeo, vt vel aduersus renes calculo infestatos conueniat. Vertunt quoque mulieres melopepones in suum vsum, formæ concinnandæ gratia. Iis enim in particulas sectis, Ari, & Bryoniæ radices addunt, quinetiam limonium succum, conijciuntque in elambicum: Deinde caprilli lactis id addunt, quod hæc omnia superet, & in aqua feruentis balnei destillant, & aqua, quæ fluxit, faciem concinnant. Tollit autem nedum faciei maculas, verum etiam ipsius rugas linimentum hoc, si eo facies tribus diebus continuis, singula quaque die ter, illinatur. Recip. radicem cucumeris asinini tenuissime puluerizatam, & infunde in aqua casei, & in ea dimitte, & postea cum ea bene prius agitata fuerit, illine faciem, & permitte, vt per se siccetur, & postea ablue cum aqua frigida. Aliud vtile ad idem: Sumatur lithargyrium rufum; ac dealbetur, ac permisceatur cum pinguedine anatis vel gallinæ, & cum oleo de semine lini, & succo radicum cannæ, & illine. Aut sero illinatur facies cum melle, in quo bullierint radices spatulæ fœtidæ contusæ, & mane cum aqua calida abluatur. Adhęc si facies sero vngatur cum succo gladioli, vel iridis, mane cutis rupta, & eleuata adinuenitur, sed tunc sananda est cum vnguento lilij: & sic pluries agendo rugæ cessabunt. Quidam vero illinunt cum succo spatulæ fœtidæ; & mane inuenitur cutis rupta, & sanatur cum eodem vnguento lilij: quod quidem abstergit cutem, & eam à sudationibus, scissuris, & alijs maculis præseruat, & hæc iam facta tollit, si sero inungatur, & mane cum aqua decoctionis rosarum, & uiolarum amoueatur. Fit autem hoc vnguentum de lilio, seu radice ipsius hunc in modum. Recipe radicis lilij in aqua decoctæ, & optimè tritæ vnc. j. probe misceantur cum vnc. j. axungiæ recentis liquefactæ, & cola cum vnc. j. aquæ rosat. deinde superaddantur cerussæ puluerizatæ draah. ij. pulueris mastiches, & olibani ana drach. v. camphoræ drach. j. diligentissimè & diutius misce. Optimum quoque est ad rugas & maculas faciei, bonumque colorem in ea efficiens, hoc linimentum: Recipe cerussæ dealbatæ, seu præparatæ partes quinque, margaritarum, chrystalli, nitri, borracis, ana partem vnam, camphoræ, sarcocollæ, myrrhæ claræ, argenti sublimati ana partem semis, terantur subtilissimè, & postea molliantur super lapide marmoreo cum aqua rosata, & postea ex eis fiant trochisci, & asseruentur: & cum necesse fuerit, dissoluantur cum aqua siue oleo tartari, & fiat illinitio: Cerussa verò sic dealbatur: Teritur, & diluitur cum aqua pura, ac lucida, & per mensem ad Solem calidum tenetur, & quolibet die colatur, & aqua renouatur, & prius colata exiccari permittitur. Quidam autem tradunt, quod si cornu bouis vstum teratur cum aceto, & oleo recenti diu agitetur, ut corporeitatem suscipiat, si illiniatur facies mulieris, inde valde iunior apparebit. Remouent etiam rugas oleum sesaminum, & etiam oleum liliorum. Alij scribunt, quod si sumatur vinum album, & aqua casei, & in eis bulliant cortices granatorum, donec deficiat

Gal. 8. simp. lib. cit.

Galen. 1. de rat. vict. cō. 18.

Gal. 1. de alim. fac. 19.

Galen. 2. de alim. fac. 4.

Matthiol. in lib. 2. Diosc. com. 128.

Ad rugarū oblationē, & ab ijs prę seruationē.

Vnguentū de lilio.

Cerussæ pręparatio.

ficiat medietas, & ex residuo facies sæpe illinatur, rugarum euentus protrahitur. Ne quid autem ad artem comptoriam deficiat, liceat ex Galen. auctoritate illud quoque addere, epimedium, quia vim habet refrigeratoriam cum aquea humiditate, vberibus illitum ea recta seruare posse. De vberum verò incremento prohibendo Galeno hæc posteritati scripta reliquit: Porro, inquit, Ostracitem vocatum lapidem prædicare quosdam audio, quasi desiccandi valenter facultatem obtineat, temperatam ex adstrictione & acrimonia, uelut eodem nomine papillas expurgare, & vberum testiumque phlegmonas sanare, ex aqua scilicet inunctum. Attamen Cotis Naxiæ ramentum mammas virginibus suo tempore prohibet tumescere, & puerorum testes tanquam videlicet particeps facultatis refrigeratoriæ. Hæc ille. De Ecchymomatis autem curatione, vbi præsertim ab extrinseca oritur causa, in tractatu de vulneribus in sermone de curatione contusionis satis superque locuti sumus. Pauca itaque hæc vberioris doctrinæ gratia, nobis addere liceat, quod Ecchymosis omnis ex Galeni testimonio vacuationem pro remedio curationis indicat: quare calfacientibus huic & modicè siccantibus medicamentis est opus. Quippe quæ vehementer siccant, digerunt illa quidem in principio euidentius, quam quæ sunt imbecilla, sed non nihil ipsius vitij scirrhosum, difficileque curatu relinquunt. Quæ enim humectant calfaciuntque pharmaca: præterea hæc, quæ omnes Græcè chalastica, id est, relaxantia vocare solent, atque ex his, quæcunque ad siccius paulo uergunt, nec tamen adhuc clarę, manifestèque cotrahentia sunt, quæ syntactica vocant, hæc omnium sunt ecchymomatum remedia. Curandum verò est, vt vnà cum ruptis, quæ in profundo hœrent corpore, hæc tum vires magis habeant intensas: tum ipsa magis acria, magisque dissipantia sint: tum (vt semel dicam) tanto efficaciora, quanto magis à cute ad profunda ecchymosis recessit. In talibus sanè nec cucurbitæ vsus sit inutilis. Id enim est instrumentum ad violentum attractum à Medicis excogitatum. Cæterum cum totum Ecchymoma digestum per halitum est, siccare iam vehementius ruptum ipsum permittitur, ac deligatura coniungere, omniaque in summà facere, quæ, ut vlcus coalescat, efficiant. Ergo si euocatum celeriter Ecchymoma sit, facile coalescet rupta ipsa caro. Sin longiore spatio, sordes ipsa subnascens medium inter vlceris labra spatium occupat ita, ut iam coire ruptio non possit. Atque inde adeo fit, vt qualibet leui de causa nos hæc sui admoneant. Nam siue quis obriguit, siue parum concoxit, siue febri laborauit, siue se vehementius fatigauit, eiusmodi particulis ilico dolet. Non enim in idem coiere ruptionis labra, tantum prope sunt admota. Quo fit, vt leue momentum ea facile separet, & medium locum superuacuo humore repleat, & quid, quæso, aliud, quam assiduè nouum ecchymoma his gignitur? Et primo illi, cum videlicet primum caro est rupta, simile: nisi quod nunc ex tenui magis sanie constat, cum in principio è sanguine ecchymoma esset: ideoque facilius etiam nunc, quam intra initia digeritur. Pro ecchymomatis autem curatione ingentem syluam pharmacorum in sermone de vulneribus in contusionis curatione tradidimus: quæ quidem repetenda non sunt. Galenus verò fatetur in suggillatione se semper vsum fuisse hac curandi ratione, ut scilicet prius suggillationem foueret decocto fœnugræci, & meliloti; postea vtebatur collyrio, quod diarhodon Nili prisci etiam temporibus appellabatur: cuius antiqui omnes meminere, necnon ipsemet Galen. 4. de comp. med. loc. & Aet. lib. 7. Vtebatur autem eo dissoluto ex aqua suggillationem illinens: Deinde idem collyrium decocto eodem ex oculari cute diluebat: postea ex solo decocto fœnu græci, & si reliquiæ pertinaciores remanebant, valentioribus discutientibus, qualia sunt collyria ex myrrha, diasmyrna dicta, eas curabat. Mulieres illinũt cerussam ex oleo rosaceo. Maxime enim in principio probatur, nam paulisper adstringit, refrigerat, exiccatq; & in oleo rosaceo præsertim maturo aliqua est vis digerens, & laxans. Sed lupinorum farina, vt Galen. scribit, quia sine mordicatione digerit, non solum liuida, sed & Chœradas, & Phymata dura curat: sed tunc in aceto aut oxymelite, aut posca coquatur oportet, idq; pro laborantiũ temperamento, & affectus diuersitate quod ex vsu est eligendo. Idem verò Gal. de saliua uerba faciẽs, scribebat, quod ea post probam coctionem ieiuno ventre ad vsum ducta nutrices pueris lichenas curant: & triticum mandentes rustici non pauci furunculis imponunt, nam celeriter eos digerit, ac concoquit: cum, si macerarent aqua, non æquè prodesset. Ex quo liquet, saliuam iuuendi robur adferre. Atq; corporibus mollibus, aut puerorum panem non triticum imponũt ore commansum.

Ad vberarecta seruãda, & eorũ amplitudinem prohibendam.

Ecchymomatis curatio.

Ad liuores, & sugillata.

Gal. 9. simp.

Gal. 9. simp. ser. 15. asmacia.

Gal. 4. n et. vlt.

Gal. 6. simp. prope finem.

Galen. 10. simp. ser. de saliua.

commansum. Porro omnia sic commansa digerunt & sugillata, ceteraq; ecchymomata, maximè, vbi panis simul cum pauco radiculæ fuerit commansus. Victus autem ratio in iam dictis malis medicamentis, & auxilijs enarratis proportione respondere debebit. *Victus ratio.*

De Pilorum vsu, natura, & ortu. Cap. VI.



ABSOLVTIS ijs vitiorum externorum symptomatibus, quæ ad mutatam attinebant qualitatem, ordinis ratio postulat, vt ad ea, quæ ab immutata exeuntia, excrementave rediguntur, transeamus. Primum autem de ijs, quæ ad pilorum vitia pertinent, differemus, quia licet primario immutata sint exeuntia (eorum enim essentia in pilis ipsis tanquam in subiecto subsistit, qui quidem non partes corporis viuentes, sed excrementa sunt, & non vera nutritione, sed, ut ait Aristoteles, expulsione oriuntur, incrementumque suscipiunt) secundario tamen immutatam quandam qualitatem, & interdum prauam quoddammodo figuram in partibus pilis subiectis inurunt: ac insuper, vt apparebit, magnam cum vitiatis cutis coloribus, de quibus paulo supra egimus, & penes causam, & penes curationem, conuenientiam habent. Priusquam verò eorum vitia enumeremus, operæ pretium est, vt de ipsorum vsu, & ortu, naturalique dispositione differamus. Hac enim ignorata, eorum quoque dispositionem præter naturam, ac vitia & eorum curationem necesse est. De ipsorum itaque vtilitate loquens Galen. hanc triplicem esse voluit, nam & ad pulchritudinem, & partium tutelam, ac tegumentum, & ad excrementorum expurgationem magno vsui nobis esse videntur. Nam pili, scribebat ille, qui ad genas proueniunt, non modo maxillas operiunt, verum etiam decus, & ornamentum afferunt. Venerabundus enim magis mas apparet, idque potissimum si ætatis progressu pili vndique ei pulchre circumfundantur: quæ causa etiam fuit, cur malas, & nasum natura pilorum expertia ac nuda reliquerit. Syluestris enim eo modo, ac fera facies tota fuisset, haudquaquam animali mansueto ac politico conueniens. At mulieri totum corpus molle semper, ac glabrum habenti, ne faciei quidem glabrities ornamenti expers futura erat. Alioqui etiam animal hoc mores non habet æquè venerandos, ac masculus. Proinde neque forma ei erat opus veneranda. Natura enim animæ moribus corporis formam facit conuenientem. Sed nec operimento muliebre genus eximio indigebat, ut quod domi maximam partem se contineant. Capite tamen comate tegumenti gratia, & ornatus egebat: quod ipsis cum viris iam esset commune. Quin & propter aliam vtilitatem necessariam tum genarum, tum capitis pili nobis insunt. Cum enim ex humoribus halitus sursum ad caput efferatur, crassioribus eius excrementis potissimum ad pilorum alimentum natura abutitur. In viris autem quanto hi mulieribus sunt calidiores, tanto hæc quoque excrementa sunt plura. Proinde duplicem ijs natura inuenit vacuationem, alteram ex capitis, alteram ex genarum pilis. Frontis autem cute propter oculos ipsos glabra derelicta, ne superciliorum quidem pilos propter eosdem oculos natura neglexit, sed solos certe hos, tum eos, qui in palpebris insunt, æqualem semper seruare magnitudinem instituit: quanquam capitis quidem, ac maxillarum plurimum augeri possint. Oculorum enim pilis, ac superciliorum si quid addideris, aut abstuleris, illorum vtilitatem corrumpas. Illi enim ne quod corporum exiguorum oculis patefactis incideret, velut vallum quoddam, ipsis sunt præpositi; hos autem instar muri cuiusdam propulsare oportebat, ac primos omnia quę à capite difluerent excipere. Ob eam enim causam conditor noster æqualem semper magnitudinem seruandi necessitatem ipsis imposuit, quod id erat melius. Postea verò quam eiusmodi efficere constituit, his quidem durum corpus instar cartilaginis cuiusdam, quod tersum vocant, subiecit; alijs autem nempe superciliorum pilis cutem duram cartilagini per supercilia connexam. Cum enim simul rectos stare in palpebris pilos oporteret: simul autem æquales magnitudine semper conseruari ac numero, corpori cartilaginoso eos affixit. Sicuti enim herbæ ac plantę, quæ ex terra humida ac pingui proueniunt, altissimè crescunt; quæ verò ex petroso, & squallente, paruæ, ac duræ, nulliusque incrementi permanent: Ad eundem modum

Galen. 1. de loc. med. c. 2. in princip.

Gal. 11. de vsu par. 14.

Pilorum vsus.

modum & pili, qui ex humidis ac mollibus partibus emergunt, plurimi sunt incrementi, cuiusmodi sunt in capite, axillis, ac pudendis: qui verò ex duris atque aridis, exiles sunt, & nullius incrementi. Itaque pili tum axillarum, tum aliorum membrorum nullis certè lineis describuntur, quemadmodum ij, qui in palpebris sunt, superciliis, ac capite; sed inæquales habent terminos, nulloque ordine sunt proiecti, quia à loci humore prouenerunt, neque ipsius opificis sunt opera. Quo fit, vt calidis naturis sint plurimi; frigidis autem nulli omnino, aut paucissimi gignantur. Quorum autem opifex ipse curam habet, quemadmodum arui agricola, ij in omnibus naturis insunt, calidis, frigidis, humidis, siccis: nisi quando prorsus supra modum fuerint intemperatæ, cuiusmodi est petrosa, atque arenosa terra. Nec defluunt ij palpebrarum, aut superciliorum pili, nisi in magnis partis affectibus. Quemadmodum nec à capite etiam defluunt, nisi in eius affectibus quidem, sed, quàm prædictorum, minoribus. Nam plantæ, quæ in terra dura, atque arida proueniunt, vti generationem habent difficilem, multamque postulant prouidentiam: ita interitum habent difficilem. Fortiter enim radicibus sunt fixæ, continenturque vndique ac constringuntur. Ad eundem modum & Aethiopum capita paruos quidem, nulliusque incrementi habent capillos præ cutis siccitate, verum non facile caluescunt. Quæ omnia cum opifex prouideret, in palpebris & superciliis satius esse ratus, exiguos, & nullius incrementi, sed stabiles pilos efficere, in cute dura ac cartilaginosa radices eorum fixit. In capite verò (locus enim iste erat iam temperatus) velut aruum ipsorum fecit, quod partim affluentis humiditatis quidpiam ebiberet, ne ea partibus subiectis esset perniciosa, partim autem & caput ipsum nonnihil operiret. Iam verò & circum pudenda pili quoque necessario prouenerunt (calida enim, ac humida sunt hæc loca) operimentumque ac ornamentum eius loci partibus præbent, non aliter, quàm nates quidem ano, præputium autem pudendo. His enim quæ necessariam habent generationem opifex passim bellè abutitur, vt qui omnibus excellit, atque in melioris electione, & eo efficiendo est sapientissimus. Hæcque de pilorum vsu à Galeno fuere conscripta. Qui quidem de materia ac modo, quibus gignuntur pili verba faciens, hæc literarum monumentis prodidit. In sicca (inquit) & calida cute multos magnosque nasci pilos diximus, nimirum, vt de homine, vel animali pilis prædito, non de ostreis, aut canceris verba facientes. Quippe per omnem cutem difflatur semper aliquid à calido, quod secum etiam interni humoris non parum aufert. Verum in quibus humida cutis est, & planè mollis, qualis modo concrescens caseus, in ijs eorum, quæ exciderunt, viæ per cutem non manent, partibus scilicet eius, quæ prius dissidebant, rursus inter se vnitis. At in quibus dura caseo iam coacto similis, perforatur eorum, quæ exeunt, impetu. Cum autem rursus vniri per siccitatem nequeat, meatus ipsos immutatos seruat: qui etiam perpetuò transfluentium ictu magis fistulantur. Si igitur, quod transfluit, vel halitus, vel humor purus sit; halitui certè celer, minimeque impeditus transitus est: humor in exilioribus spiramentis semper hæret: aliquid etiam intrò recurrere ad profundum cogitur. Sin veluti fuliginosus, crassusque & terreus vapor sit, subinde contingit, vt in angustis spiramentis impactus nec facilè rursum intrò redeat, nec vacuari possit. Hunc igitur alius rursum è profundo subiens ferit, prorsumq; impellit: tum hunc rursus aliter: atque illum alius: ac multos mihi eiusmodi vapores fuliginosos, alium super alium, impactos tempore complicari, coniungiq;, intellige, ac vnū eiusmodi corpus, qualis est ea, quæ foris cernitur fuligo: nisi quod hic quantum spissatum est, tantum etiā per transitus angustiam stipatum, in angustam prorsus redactum est formam. Vbi autem tale corpus totum obstruxerit meatum, deinceps iam violenter ictum à similibus sui, quibus exitus non est, excrementis, totum interim propellitur adeo, vt cute exire cogatur iam lori formam adeptum. Assimiles autem, quod in meatu est impactum, herbæ radici, quod ex cute extat, ipsi herbæ. Fit autem niger pilus, cum deusto vi caloris vapore excrementum in exactam fuliginem mutatur: Flauus cum vapor minus torretur. tunc enim quod impactum est, flauæ bilis, non nigræ fœcosum excrementum est: Albus verò ex pituita nascitur: Rursus sicuti coloris flaui, albique est medius, sic eius generatio ex pituitosæ, biliosæque fęcis media quadam natura prouenit. Crispi autem pili fiunt aut propter siccitatem temperamenti, aut propter meatuum, in quibus radicantur, naturam, & obliquitatem: quæ quidem obliquitas aut propter exhalationis imbecillitatem, aut cutis duritiem, aut vtraque de causa fit; quemadmodum in tertio

Margin notes: *Galen. 2. de Temp. c. 5.* — Pili quomodo, & qua ex materia gignantur. — Pili cur diuersimodè colorati. — Crispi pili cur fiant.

veluti situs est pituitæ, quæ spatio computruit. Vbi enim meatus etiamnum manet; excrementū verò exiguum est, & lentum, ac languidè à calore propellitur, non dissimiliter putredini afficitur. Calui autem fiunt homines cum senescunt, à sincipite magis, quoniam illud omnium capitis partium est siccissimum. hæret enim cutis illic ossi nudo. Canescunt autem magis à temporibus; quia ea humidiora sunt: in his enim musculi magni sub cute habentur. Omnis enim musculus carnosus est; caro tum osse, tum cute humidior. Ex his itaque, quæ tradita sunt, facile est videre, caluitium nil aliud esse, præterquam capillorum priuationem ex siccitate capitis, vt ait Galenus, seu vt inquit Arist. ex defectu humiditatis alimentalis prodeuntem. Nedum enim quæ scripserunt Hipp. & Galenus, verum etiam Aristotelis dicta de caluitiei causa in idem recidunt. Ait enim Hippoc. cerebri consumptio, propterea & caluitium. Cum enim, inquit Galenus, hæc verba declarans, cerebrum multò minus seipso factum sit, id quod accidit ijs, quibus est natura siccius, tum ab ossibus superiacentibus recedit, quæ anatomici sincipitis Græci bregmatis ossa nominant. Ab alijs autem caluariæ partibus potissimum quidem cerebrum non plus recedit. quod si quandoque recesserit; tamen propter carnes ossibus subiectas, cutis humiditas non prorsus exarescit: proinde nec crines defluunt. Vt enim superius docuimus, pili neque ex præhumida cute, neque ex vehementer siccata nascuntur. Porrò cutis capitis puerorum, mulierum, & eunuchorum humida est, & ob id nunquam caluescunt; caluorum autem præter modum arida. Cerebrum verò in iuuenibus, quod molle, humidumq; est, caluariam contingere, omnemque interiorem capacitatem ab eo occupari; in senibus verò arescens, & subsidens ab ea recedere, sæpenumero in animantium dissectione conspeximus. Cerebri autem consumptionem, vt ipsum sit omnino consumptum, ne cogitatione quidem, in viuo animante fieri posse, omnes norunt. quare reliquum erit, vt per cerebri consumptionem intelligamus eam diminutionem, quam ex siccitate in caluis fieri diximus, vt sincipitis ossa, quæ laxiora, mollioraque, ac cæteris superposita sunt, ob cerebri defectionem, cum vsque ad ea non pertingat, nec tangere ea possit, exsiccescant: Subsidet enim, & depressum in suam basin concidit. Consequens autem est, his ossibus arefactis cutim etiam eis prætensam exarescere: eaque in caluis valde sicca esse, sensu perspicitur, vt demonstratione à ratione ducta nihil opus sit. Hæc à Gal. & Hippoc. Idem voluit Arist. dum scriptum reliquit, caluitium fieri ob inopiam humidi calidi pinguis. quod quidem nil aliud est, quàm humidum alimentale: idq; ad differentiā humiditatis excrementitiæ, qua quidem deficiente, tantum abest, vt caluitium gignatur, vt potius pili perfectius producantur, & conseruentur, & omnes cerebri capitisq; functiones meliores edantur. Sicca verò intemperies cutis capitis ac cerebri nil aliud est, præterquam defectus humiditatis alimentalis. Excrementitię verò humiditatis penuria nullam vnquam aut intemperiem, aut affectionem præter naturā parit. Siccam autem intemperiem capitis apud Gal. alimentalis humiditatis penuriam esse, ex eiusdemmet Gal. verbis colligimus, dum dixit, quod propter inopiam sanè humorū, ex quibus s. pili nutriri consueuerunt, caluities contingit, sicuti propter vitiatos humores Alopecia, & Ophiasis. Ex hoc itaq; caluitiū ab Alopecia, & Ophiasi distinguitur: quia vitia hæc fiunt propter humores capillorum radices erodentes, illud verò, nempe caluitiū accidit propter defectum humiditatis continuantis ac producentis capillos. Capitis enim cute, caluaria, ac cerebro nimiū exsiccatis, ex consequenti etiam humiditas, à qua capilli nutriuntur, absumitur. qua quidē absumpta, & discontinuata, capilli de necessitate decidunt. Neque enim sufficit materiā, ex qua capilli fiunt, & subinde fuliginosum vaporem præsto esse, sed oportet, vt capilli conseruentur, & caluitium arceatur, materiā hanc pilorum conseruatricem continuatim vsq; ad capillorū radices deduci, & continuatim extra poros cutis expelli, cuius rei indubitatū testimonium ex cicatricibus, quę post capitis vulnera, aut vlcera relinquuntur, desumi potest. In quibus etiā si vapor fuliginosus sub cute, & caluaria ipsa non deficiat; nihilominus, quia earum vi cutis capitis densatur, & eius pori coarctantur, fuliginosus vapor prodire non potest, & ita glabra cicatrix relinquitur. Ex hac autem tradita caluitiei natura quis est, qui nesciat, omnes ambiguitates circa ipsam contingentes diluere? Si quis enim quærat, cur solus homo inter cętera animantia caluescat? Huic respondemus, id pluribus quidem de causis euenire, sed eas omnes ad absumendam cutis capitis humiditatem alimentalem, & eam exsiccandam concurrere. Nam solus homo plurimum genitale semen emittit, cum bruta ipsa solum turgente materia seminali in Venerem ruant; alimen-

Marginalia (left): Natura. — Causæ. — Quarundā dubitationū solutio.

Marginalia (right): Gal. loco cit. — Arist. 5. de gener. anim. — Hip. 3. in 6. Epid. com. 1. — Gal. in com. — Arist. 5. de gen. animal. cap. 3. — Galen. 1. de med. loc. c. 2. in princ.

talis autem membrorum humiditas à semine ipso fouetur, & resarcitur: quia solidæ omnes partes à spermatica humiditate nutriuntur: Hinc neque pueri, qui semen non emittunt, neque eunuchi caluitium vnquam patiuntur. Ob id ait Aristoteles, quod ante luxuriam nemo fit caluus: & in multis luxuriantibus secundum naturam magis fit caluities, quia deperditur naturalis caliditas, & alimentalis humiditas. Insuper solus homo inter animantia rectam staturam sortitus fuit, quo fit, vt pars eminentissima nempe sinciput, ac capitis non ita facilè alimentali humiditate redundet: quia alimentum ægrius sursum fertur, & cerebrum ab ossibus sincipitis facilius recedit: Bruta verò cum prona, capiteque demisso incedant, eorum capita plurima humiditate gaudent alimentali, & cerebrum ossa capitis facilè tangit. Nec quis aues elato quadantenus capite incedentes, aut stirpes quasdam nobis obijciat: Quia tum folia, tum plumæ partes necessariæ, viuentesque sunt, & vera nutritione aluntur; pili autem sunt excrementa, quæ per expulsionem gignuntur, & augentur. Ad hæc homo solus cerebrum maximum, & subinde caluariæ magnitudinem fuit adeptus; Cætera verò animalia ac bruta, respectu corporis magnitudinis, paruum cerebrum, exiguaque capitis subinde ossa sortita sunt. Parua autem caluaria à cerebro facilius & vndique contangi potest; magna verò in homine ægrius circumquaque, & præsertim in sincipite contangi à subiecto cerebro potest, dum præsertim illud ex ætatis decursu exsiccatur. Insuper homo solus, quippe qui nedum præsentia, verum etiam futura meditatur, atque præuidet, quàm plurimis agitatur animi curis, studijs, meditationibus, atque vigilijs: quorum vi cerebrum, & caput ipsum plurimum exsiccatur, à quibus bruta nullatenus exercentur. Denique humanum genus inter omnia viuentia, ac vniuersa corpora, temperatissimum, vt ait Galenus, contemplationis nempe gratia, fuit effectum. Fabricatores enim nostri scribebat Plato, cum de humano genere consultarent, vtrum diuturnius, sed deterius; an breuioris vitæ, sed melioris ipsum efficerent: breuem, melioremque vitam, diuturnæ ac deteriori esse omnino anteponendam censuerunt. A tali autem adeo perfecto, ac symmetro temperamento pili nec adeo copiosi, nec adeo validi, ac stabiles durique, vt in brutis, propter imperfectam eorum temperaturam, cernuntur, prouenire possunt. qui etiam tales ei minus fuere necessarij: (quemadmodum in brutis ad eorum tutelam necessarij sunt) Cum enim ratione, quam artem ante artem, & manibus ipsis, quas organum ante organa Galenus appellat, instructus sit, aliquo artificiali tegumento pilorum iacturam, atque defectum reparare facilè potest. Amplius, si quis quærat, Cur mulier aut rarissimè, aut nunquam caluescat? Huic responsum ex superius dictis elicimus. Id enim nulla alia de causa contingit, nisi propter humidiorem ipsius temperaturam, quæ, cum temperaturæ frigidiori adhæreat, capitis ipsius humiditas adhuc melius conseruatur: Et insuper mulier in coitu, respectu viri, paucam omnino seminis copiam emittit. Magnus tamen Albertus duas mulieres caluas se vidisse testatur. Cur autem caluitium anteriori magis parte capitis, quàm posteriore contingat, auctoritate, & ratione Galeni superius adducta declarauimus. Qua verò de causa caluitium reparari non possit, & cur quidam citius, quidam tardius caluescant, tum ex dictis clarum est, tum ex infra dicendis adhuc clarius apparebit. Huius porrò mali causæ remotæ, ac præincipientes sunt illæ omnes, quæ cerebrum ipsum, ac caput exsiccare possunt; veluti sunt præsertim vigiliæ, curæ, studia, & alij immodici animi motus, necnon coitus immoderatus. Alex. Aphrod. voluit caluitium etiam hæreditario vitio, quemadmodum & podagram contrahi posse. Quod quidem ante ipsum Hippocrates quoque tradidit, dum scriptum reliquit, macrocephalos fieri ex macrocephalis, cæsios ex cæsijs, caluos ex caluis: quod tamen non est perpetuò verum: etiam si sæpe patres non modo capitis, verum etiam aliorum membrorum intemperantias sæpius filijs inurant. Vnde facilè fieri potest, vt si pater capitis siccitate laboret, filium quoque caput siccum habentem procreet. Cognoscitur autem caluitium, eò, quia incipit primò à parte cerebri anteriore, atque paulatim augetur. Insuper ætatis progressu, atque ea inclinante, & tempore coitus exoritur: & præter id, quod nullum adest signum alicuius vitiosi humoris in capite existentis, & nulla adest alia causa capillorum defluuij, nullis prorsus remedijs, etiam si ad pilorum regenerationem efficacia sint, coerceri, aut tolli potest. Ex Galeni autem auctoritate superius tradita clarum est eos caluitiei obnoxios esse, hocque malum in ijs festinare, qui caput calidius, atque siccius habent: quia in ijs capitis cutis velocius siccescit.

Arist. 5. de hist. anim. Idem 5. de gener. anim. Galen. 1. de temper. cap. vlt. Plato in Timæo. Galen. 1. de par. vs. prop. princ. Albertus lib. 19. de animalib. c. 6. Causæ remotæ. Alexand. 1. probl. 2. Hipp. lib. de aer. loc. &c. Signa. Galen. 2. de Temp. Prognostica.

Vnde

Vnde & Rasis protulit, quod qui sunt calidiores temperaturæ, velocius caluitium patiuntur: quia caliditas humiditatem depascit, & absumit. Propter oppositam causam, vt inquit Galenus, balbi non patiuntur caluitiem; neque etiam habentes capita parua propter causam supra allatam: Non enim, ait Galenus, vidi balbum patientem caluitium. Quod etiam confirmat Auicennas, scribens Traulos non fieri caluos, propter ipsorum abundantem, scilicet in cerebro, humiditatem. Hac quoque de causa pectus valde hispidum caluitium abundans futurum minatur. Vnde Auicennas de præparatis ad caluitium verba faciens inquit, in istis multiplicari pilos pectoris, propter ipsorum scilicet caliditatem. Euenit autem caluitium fere versus senectutem: quia hac ætate membra magis exsiccantur. Hinc autem colligimus, cur dixerit Galenus, quod qui cerebrum temperatum habent, non facile caluitium patiuntur; qui verò humidum nacti sunt cerebrum, & qui frigidum, & humidum, nequaquam calui fiunt. Is quoque scriptum reliquit eos, qui caput calidum habent, progredientibus ætatibus caluos fieri, atque eò magis eos, qui plus modico sunt calidiores. sed citò, vt idem ait, caluescunt, qui siccum cerebrum, & qui calidum & siccum habent. Qui verò calidum & humidum nacti sunt, non facilè caluescunt: Si verò frigidum sit & siccum, sicuti citò capilli cani fiunt, ita in progressu ætatis superante magis frigiditate caliditatem, quàm siccitate humiditatem, multum non caluescunt: Contrà, si siccitas plurimum humiditati dominetur; frigiditas verò caliditati parum, hi calui fiunt.

Gal.2.Epid. *Galen. 2. de temp.* *Gal. lib. art. Med. cap. 13. & 17.* *Cap. 14.* *Cap. 16.* *Cap. 18.* *Cap. 20.*

Dubitatio. Verum dicet quis, si verum est sicca capita, & calida & sicca reliquis facilius caluescere, qua ratione potuit Galenus scribere Aethiopum capita paruos quidem, nulliusque incrementi habere capillos præ cutis siccitate, verum non facilè caluescere? Nonne, vt alibi docet, ijs, qui calidam, & siccam regionem incolunt, quales sunt Aethiopes, respondent ætates florentes, & calidæ & siccæ naturæ? Quomodo itaque verum erit Aethiopes non facile caluescere, & siccas, calidasque temperaturas habentes reliquis citius, ac facilius caluitio occupari?

Galen. 11. de vsu par. 14.

Responsio. Ad hoc dicendum, Aethiopes habere capillos, qui in reliquis quidem conditionibus, nigredine scilicet, crispitudine, fragilitate, siccitate, exiguoque incremento ætate florentium, & similes temperaturas habentium capillis proportione respondent, non tamen in caluitio ipso. Qui enim temperatam regionem incolunt, caluescunt propter siccam cerebri temperaturam, à qua capillis alimentum adimitur, & vaporis fuliginosi continuatio cum capillorum radicibus tollitur, & craneum, ac cutis capitis adeo siccantur, & inuicem adhærent, vt cutis veluti ossea euadat, & nullus prorsus meatus, ac capillis transitus relinquatur. In Aethiopum verò capillis hæc non eueniunt: quia licet ob ambientis feruorem eorum capitis cutis sicca, & dura euadat; non tamen omnes ipsius meatus clauduntur, cum potius ob externam caliditatem rarefacientem, frequentiores sint; nec veluti ossea euadens craneo ita adhæret, eò, quia eorum corpora, & interna viscera licet extranea caliditate extrinsecus, & in superficie exæstuent; non tamen innata caliditate intus abundant, sed potius frigidiora sunt: Quemadmodum è conuerso qui frigidas incolunt plagas, extrinsecus quidem frigent, sed intus plurima innata caliditate fruuntur. Hinc accidit, vt ab Aethiopum capillis vaporosæ fuliginis (etiam si paucior sit) continuatio cum eorum radicibus non tollatur: quia eorum cerebrum & cranium non adeo exsiccantur. Qui verò prodierunt capilli non facilè decidunt, & subinde Aethiopes non facile caluescunt, quia fortiter radicibus defixi sunt, ac vndique continentur, ac constringuntur, quemadmodum etiam de ciliorum, ac superciliorum pilis suprà dictum est. Eò verò difficilius euelluntur, ac decidunt, quò ipsorum radices ob nimiam siccitatem tortuosæ magis inflexæque sunt, & qui extant capilli, parui omnino, ac tenues, breuesque sunt.

Caluities affectus incurabilis. Si verò de reliquis præsagijs sermo fiat, quis est, qui nesciat, inquit Galenus, caluitium esse passionem insanabilem? Cum enim humiditas alimentalis, quàm homo à sui ortus primordijs contraxit, deficiat, quæ quidem non nisi merito optimatum coctionum, & caloris innati vigentis reparari potest, quomodò inclinante iam ætate (in ipsa enim caluitium contingit) quo tempore innatus calor indies marcescit, poterit resarciri? Arbores profectò frondes quotannis resumunt, & animalia pilos; quia, vt Aristot. inquit, horum corporum mutatio secundum anni partes efficitur: Vnde anni temporibus quotannis redeuntibus, hæc quoque in ipsis reuocantur. Homo verò secundum ætates dumtaxat mutatur, quæ cũ amplius non reuertantur, impossibile est, vt alterationes, immutationesq; ab ipsis prouenientes corrigantur.

Gal. 6. apho. 34. *Arist. 5. de gener. anim. cit.*

Hæc itaque passio prorsus incurabilis est,quotiescunq; consummata est: sed potest tantummodo, antequam fiat, retardari. Quia itaque confert ad tuendam bonam valetudinem, vt quis tardè caluescat: Et insuper, quia apud plerosque turpe habetur, iuuenem caluum videri,operæpretium est, vt quantum fieri potest, passio hæc retardetur. Quod quidem non alia ratione fiet,nisi ipsa capitis,eiusque præsertim cutis congrua humectatione.. Congrua autem esse debet humectatio hæc, & potius substantifica,vt scilicet pingue humidum,ac calidum, quo pili nutriuntur,quādiu potest,retineatur,conserueturque; quia nonnunquam indebita humectatione caput ipsum catharris, ac prauis destillationibus, & morbis obnoxium redditur. Quod si capitis siccitati frigiditas iuncta sit, modicè calfaciendum, temperatis scilicet medicamentis. Nam immodicè excalfacientia adhuc magis exsiccant. Si siccitati iungatur caliditas, moderatè refrigerandum caput erit. Nam immodicè frigida humiditates exprimendo & caput exsiccant, & humores ad subiectas partes præcipitant, ac destillationes exsuscitant. Nonnulli addunt, quod si ratione caliditatis cutis capitis meatus nimis rarefacti,& aperti sint,moderatè pariter adstringentibus occurrendum erit, vt capilli vndique contineantur,ac constringantur & non ita facilè decidant: Nos tamen horum sententiam approbare non ita possumus; quia si caluities ex siccitate cutis oritur, ratione siccitatis, vt Gal. docet, cutis meatus subsident,siue conniuent,& clauduntur; ita vt hac ratione adstrictione nō egeamus: potissimum cum malum fouere possit. Nam adstringentia & ipsa substantificas humiditates, & capillorum alimentum exprimendo & reprimendo exsiccant, & nimis nocent. Ideo quæ solam adstringendi vim obtinent, alioquin moderatam,nunquam sola sunt in hunc vsum ducenda,nisi vnà emollientem & humectantem, aut rarefacientem vim habeant. Tunc enim paucula illa adstrictio, & ad cutis calorem roborandum, & ad humectantem vim altius imprimendam, & diutius in parte conseruandam, & fluentes capillos detinendos prodesse poterit. At verò medicamenta, & alia præsidia, quæ capitis siccitatem, siue ea simplex, siue cum aliqua ex actiuis qualitatibus coniuncta sit, submouere valent, in primo capite primi libri, in curatione scilicet intemperiei siccæ capitis, fuere conscripta.. Ibi enim & pinguedines & oleum amygdalarum dulcium, & violarum, & chamęmeli, & butyrum, & lactis vsus, præsertim muliebris, & maluarum, althęæque succus, fuere proposita. quibus tum inunctiones, tum linimenta, tum stillicidia parari possunt. & modo hoc vel illud vsurpandum medicamentum, prout intemperies simplex vel composita id exigit. Exempli causa, si sicca intemperies simplex sit, butyrum sufficit, ac oleum amygdalarum dulcium, aut pinguedo gallinæ vel consimilis. Si cum frigiditate iuncta sit, cum oleo amygdalino aut chamæmelinum, aut anethinum misceatur; si calida sit, & sicca, cum eodem oleo amygdal.dulcium, oleum violatum permiscendum erit. Maximè verò probatur à Dioscoride vsus ladani, præsertim Cyprij, idque magis, vbi cum siccitate capitis ingens caliditas iuncta non sit. Natura enim, inquit ille, ei inest spissandi, calefaciendi, ac molliendi: Vnde & ora venarum patefacit, & capillum fluentem continet, addito vino, myrrha, & myrteo oleo. De eo pariter scribit Gal. quod calidum est in primo ordine, habens adstrictionis paululum, substantia tenui, & proinde emolliens siue malacticum, & moderatè digerens, & concoquens. Quocirca diffluentes capillos retinet. Nam quicquid ad radices eorum praui humoris sederit,id omne absumit, tum meatus,quibus infixi sunt,contrahit, & constringit adstrictione. Cæterum Alopecias sanare non potest, vtpote magis discussorias vires, quàm quæ ladano insunt,poscentes: quippe proueniunt hæ ex prauis succis,lentis,crassisque,quos secantia,ac digerentia medicamenta potissimum euocant & euacuant.Cæterum tenuium partium sint facultatis oportet,& minimè adstringentis;non tamē vsq; adeo tenuium partium,& desiccatorię,vt plus nimio desiccent,vnaq; cum collectis inibi succis pręter naturam,naturalē quoque humiditatem incrementa pilis suppeditantem absumant: nam sic non tantū alopecia non liberabunt, sed & caluitiē afferent. Hæc Gal. Ex quibus verbis clarè colligimus hoc medicamenti genus ab eo magis probari in eo vitio,quod capillorum defluuium vocant, quàm in arcendo caluitio. Sed nihilominus etiā pro caluitio protrahendo à plerisq; probatur ladanum,& pręsertim eius oleum,quod sic parare cōsueuerunt. Sumunt ladani optimi,ac pinguis libram,secant in tenuissimas portiones,& in æreo cacabo collocant,superadduntq; deinde aquæ ros.vnc.vj.& amygdalini olei dulcis vnc.iv. posthac igni haud magno admouēt,feruescereq; sinunt sesquihora.Postea tollunt & toties percolāt,quousq; clarum

Indicationes.

Gal. de cauſ. morb. c. 7. & alibi.

Caluitiem retardantia præsidia, & siccitatis capitis curatio.

Medicamenta.

Dioſc. lib. 1. c. 110.

Gal. 7. ſimp. ſer. de ciſtho.

clarum fiat. Quidam hoc linimento, quod odoriferum est, vtuntur. Recip. olei ladani per alembicum extracti vnc. j. s. ſucci foliorum myrti, ſucci corticum nucum viridium ana vnc. s. maſticis tenuiſſimè puluériz. vel eliquati drach. ij. ambræ grana iij. miſce & fiat linimentum, quo anterior pars capitis potiſſimum quotidie inungatur. Raſis ad capillorum caſum, & in conualeſcentibus arbitratur non poſſe præſtantius medicamentum excogitari Ladano ipſo in oleo maſtichino diſſoluto. Quidam ad capillorum caſum prohibendum apes multas in olla recludunt, oleoque terunt, & caput inungunt. Auicen. Rec. grana myrti, gallas, & emblicos, ac in oleo roſaceo decoquit, & inungendo admouet. Quidam autem ex recentioribus hoc tanquam experto capillorum caſui occurrebat: Rec. corticum cannæ vſtarum corticum auellanarum vſtarum, granorum myrthi ana drach. iiij. abſynthij gallarũ ana drach. ij. Confice poſt triturationem ipſorum cum oleo myrteo, & vtere. Verum tum hoc poſtremum, tum ab Auicenna propoſitum pharmacum, magis ad capillorum defluuium accommodatur, aut etiam ad primum caluitiei principium, ut ſcilicet capilli, qui remanent, non ita facilè, ac cito decidant. Oleum etiam coſtinum capillos firmat, & pulcros reddit. Eos pariter retinet decoctio emblicorum, & ſuccus naſturtij domeſtici illinitus. Inter lotiones, quæ capillos à caſu præſeruant, conuenit ea, quæ fit ex aqua decoctionis ſenæ, aut roriſmarini: aut facta cum lixiuio facto cum cinere pedis columbini, aut cum aqua decoctionis foliorum fagi. Pariter ablutio facta aqua decoctionis fœnigræci capillos firmat, & eos à furfuribus abſtergit. Hæ autem lotiones magis proſunt, ſi poſt ipſas, capillorum radices oleo myrteo iuxta cutem inunga̅ntur. Quidam maximè probant lotionem, ſeu illinitionem cum lacte caprino, in quo trita fuerit agrimonia. Galenus maximè probat compoſitionem quãdam, quam tradidit Cleopatra, inquiens, eam omnes vi ſua præcellere, & item facere ad profluuium capillorum, cum oleo aut vnguento diſſoluta, & ad deciduos in principio palpebrarum pilos, & in caluitiem prolabentes, eſſeque omnino admirabilem: fit autem hunc in modum Recip. Murium domeſticorum vſtorum partem vnam, panniculi ampelini (alij linei) vſti partem vnam, dentium equinorum vſtorum partem vnam, adipis vrſini partem vnam, medullæ ceruinæ partem vaam, corticis arundinis partem vnam. Hæc omnia arida læuigentur, & ſufficienti melle admiſto, ad craſſitudinem mellis redigantur, indeque adeps & medulla liquefacta addantur, & pharmacum ipſum in æream pyxidem reponatur, ex eoque alopecia, & caluities, donec capillos producat defricetur. Similiter autem & profluí capilli quotidie ex eo illinantur. Aliud ex Sorano ad caluefcentes præter ætatem remedium Recip. adipis taurini inſolati libr. j. adarces vnc. j. ſucci thapſiæ ſeſquiunciam, alij vnciæ dimidium, myrrhæ bonæ vnc. j. polytrichi lib. dimidium, callitrichi lib. dimidium, membri aſinini lib. j. ſplenis aſinini lib. j. ladani tantundem: Ladanum in vino pauxillo maceratum contere; adipem verò aquæ vapore liquefacito: deinde aſini membrum aſſatum, donec inſumatur, radito; ſplenem verò cum callitricho, & polytricho in noua olla torrefacito, contuſiſque quæ contundi poſſunt, ac cribratis, omnia glaucino, ac ſabino excipito, & ante balneum vtitor, capite prius pectinato. Manifeſtum verò eſt, quod eadem pharmaca etiam ad menti pilos non naſcentes conducunt. Aliud verò pharmacum huic ſtatim ſubnectit Gal. inquiens, ipſius facultatem conſtantem, ac certam eſſe, neque citra effectum dilabi: cuius deſcriptionem, ac vſum vnuſquiſque per ſe videre poterit: quemadmodum & alterius ei ſtatim ſubſequentis, quod ſymbolicè ſcriptum eſt, ſed ab eodem Galeno declaratum. Ex ijs autem, qua propoſuimus, clarum eſt varia eſſe vſurpanda, prout etiam varia capitis intemperies ac conſtitutio indicabit. Verum ſi quid aliud caluitium remorari, aut capitis ſiccitatem corrigere valet, illud eſt opportuna, ac commoda victus ratio, & vſus ciborum optimi alimenti, ac pinguis faciliſque coctionis, & in quibus ſit remiſſa caliditas. Quocirca omnia ſalſa, acria, & acetoſa, & pontica, auſteraque euitanda ſunt. Cauendus quoque fructuum vſus: quippe qui flaccidi, ac pauci omnino ſunt alimenti. Sed potiſſimum cauendum vinum potens, vinoſumque, antiquum, & acre. Ita coitus ipſe aduerſiſſimus eſt. Et in ſumma omnia, quæ exiccandi vim habent, ſiue intus ſumantur, ſiue extrinſecus adhibeantur, ſunt fugienda. Idcirco in capitis ablutione neque nitro, neque ſapone, neque id genus alijs uti debent: ſed potius utantur balneis, & lotionibus cum rebus dulcibus, & eis permiſceantur, quæ cõſimilis ſunt facultatis, veluti ſunt farina fabarum, grana melonis, pſyllium & ſimilia. Aer temperatus ſit, eiuſque immodicæ intemperantiæ pileis, aut alijs tegumentis arcendæ.

Marginal notes: Lotiones. — A Galeno conſcripta. — Gal. 1. de cõpo. med. per loc. c. 1. — Victus ratio.

Fugiant

Fugiant omnino vigilias, & solicitudines, ac omnes animi curas, quarum causa sæpius caluitium immaturè prouenit. Pectinationes cuiusdam exercitij loco moderatæ sint. Quæ autem medicamenta, & auxilia caluitium arcere, & defluuium capillorum curare valent, de quibus infra scribemus, eadem paucos capillos poterunt multiplicare, ac frequentiores reddere.

De Alopecia, & Ophiasi. Cap. VIII.

Gal. 1. de loc. med. c. 1.



VONIAM Galenus eodem capite, & sermone de caluitie, alopecia, & ophiasi pertractat, & id non ab re quia omnia hæc vitia sub vno genere, capillorum nempe priuatione, continentur, & quia alopecia, & ophiasis, ab ipsa tinea, & alijs prauis capitis pustulis penes naturam, causamque non longè absunt (in ijs enim omnibus affectionibus capillos decidere, & maximè lædi videre est) ideo cum de tinea superius dixerimus, cogimur tractationem de alopecia, & ophiasi statim absoluere. Vocatur autem alopecia ad similitudinem vulpis, alopix Græcè vocatæ, quia passio hæc vulpibus euenire consueuit. nam sicuti in alopecia capitis pili decidunt, ita vulpes sæpius depilantur. Ophiasis verò ab Arabum interpretibus tyria quoque dicta, & ipsa capillis caput priuat, sed quia non vniuersos adimit, sed solummodo quasdam cutis capitis partes orbatas reddit, quæ quidem depilatæ partes deinde tortuosè incedentes conspiciuntur, ita vt serpentis, qui Ophios Græcis dicitur, figuram præ se ferant, Ophiasin hoc malum vocant. Vterque tamen affectus vno & eodem tempore à Galeno explicatur, quia vterque capillorum priuatio, seu defectus est, à vitioso succo capillorum radices erodente, eorumq; probum alimentum corrumpente profectus. Sicuti enim propter inopiam sanè humorum caluities contingit: ita, inquit Galenus, propter vitiatos humores alopecia, & ophiasis. Vnum quidem ambæ secundum morbosam affectionem malum, nomina autem iuxta figurã habentes diuersa. Serpenti enim similis læsa pars capitis in ophiasi apparet. Alopecias autẽ ideo appellatas ferunt, quod vulpibus frequenter accidant. Nos autem propter quid sic appellari contingit, non quærentes, vnde verò oriantur, causam inuestigantes, eam ipsam humorum vitiatorum redundantiam comperimus. Ex his autem, quæ statim subinfert Galenus, colligimus corruptum humorem, alopeciæ & ophiasis causam effectricem, posse esse vel pituitosum, vel melancholicum, vel biliosum. Etiamsi Auicennas his quoque sanguinem ipsum corruptum addat, quod & ab alijs magni nominis auctoribus suscipitur. Causa enim generans alopeciam, & tyriam, scribebat ille, est materia mala manens in cute & origine pilorum, corrodens eos, eisque probum alimentum prohibens. & materia hæc quandoque est biliosa, & quandoque est melancholica, & nonnunquam pituitosa, & quandoque est sanguis corruptus. Dum verò corrumpitur, necesse est ipsum in alterius vitiosi succi naturam commigrare, & penes tenuiorem partẽ in flauam, penes crassiorem, ut Gal. docet, in atram bilem conuerti. Inquiunt tamen Arabes, quod quamuis harum dispositionum omnis materia causa esse potest; vt plurimum nihilominus hæ affectiones fiunt ex materia pituitosa exacuta, id est, salsa & adusta, vel putrefacta. Ob id Auenzoar non nisi de materia pituitosa mentionem egit. De ea enim intelligendus est, quæ salsedinem, & acrimoniam, aut aliam prauam & erodentem qualitatem contraxit. Qui etiam reddens rationem, cur modo alopeciam, modo ophiasin creet, inquit id contingere, quoniam alopecia ex pituita, seu materia copiosiori, & magis crassa generatur, quæ cum sui copia facilius spargatur, & dilatetur, vniuersam seu magnam cutis capitis portionẽ depilat. Contra ophiasis à materia tum minus crassa, tum minus copiosa gignitur. Similiter in ophiasi, subdit ipse, fit capitis depilatio per viam tortam, quia materia ipsam procreans pauca est, & non valde tenuis. Si enim esset valde tenuis, per viam rectam depilatio fieret, sicuti facit aqua, dum cadit super terram. Quia igitur aliquid crassitiei retinet, inæqualisque est, contingit ei illud, quod accidit aquæ, cum aliquid luti ei superaspergitur: quæ, dum decidit in terram, non rectam, sed tortuosam viam efficit. A pari itaque quamdiu pituita corrupta exactè tenuis est,

Marginal notes: Nomen. — Natura. — Gal. loc. cit. & 14. meth. 18. — Causa. — Galen. 2. de diff. feb. 9. — Ophiasis causa particularis.

per rectas lineas pilos corrumpit: quod si crassa materia ei permisceatur, non amplius per rectum, sed per obliquum ipsos corrumpit. Inquit autem Auic. eandem materiã in Ophiasi cutem fortasse excoriare, quia humor ipsam generans est acutior eo, qui alopeciam inducit. De alijs verò causis, quæ remotiores sunt, tum in sermone de Tinea, tum de alijs capitis pustulis superius loquuti fuimus. Ex ipsa itaque figura, vt dictum est, alopecia ob ophiasi primum distinguitur, & quia, Auic. teste, in alopecia solum pili decidunt, absque cutis læsione; In ophiasi non solum pili cadunt, verum etiam cutis excoriari solet. Verum Celsus alias plerasque inter has passiones (quas vtrasque Areas vocauit) diuersitates protulit, dum scriptum reliquit, quod alopecia sub qualibet figura dilatatur, & in barba, & capillis, ac in qualibet ætate gignitur: ac vix vnquam sine ope Medicorum sanatur. Ophiasis verò incipit ab occipitio, & duorum digitorum latitudinem nunquam excedit. Ad aures etiam duobus capitibus peruenit; quibusdam quoque vsque ad frontem, donec se duo capita in priorem partem committant, fit. Atque fit vt plurimum in infantibus, & etiam sine auxilio Medicorum sæpe curatur. Differunt autem Alopecia ac Ophiasis ab ipsa tinea; quia excoriatio, quæ in ophiasi obseruatur, superficialis est, & cum sanatur, iterum in ea capilli renascuntur: In tinea verò cutis excoriatio profunda est, adeo, vt nonnunquam vsq; ad os caluariæ proueniat, in qua post consolidationem, ac cicatricem inductam pili non renascantur. Habent autem alopecia, & ophiasis hæc omnia communia, quod in summa pellicula primum pili extenuantur; deinde extenuati decidunt, ac, si pertundatur locus, exit sanguis mali odoris, & liquidus, & in alijs crescit morbus celerrimè: in alijs tarde. Quæ verò materia harum affectionum causa sit, ex colore cutis facilè depræhenditur. Quales enim, ait Gal. tandem sint corrupti humores horum vitiorum auctores, ex colore cutis capitis cognosces. Aliquibus enim mutata albidior apparet; aliquibus nigrior, aut pallidior. Vt autem color clarius cernatur, oportet primum cutem ipsam, seu pilos superpositos, si qui remanserunt, accuratè abradere, & postea cutem ipsam depilatam leuiter fricare. Simili modo ex anteacta victus ratione, ex symptomatibus, quæ cum his malis iunguntur, & varijs succis in toto corpore, & in capite, eiusque partibus dominantibus, & horum indicijs certius corruptus succus, qui horum malorum effectrix causa est, dignoscitur. Præ ceteris tamen color cutis accuratè examinandus. Quamdiu enim corpus sanum est, colores etiam pilorum, nedum cutis, naturales sunt, vt habet Galenus: quamprimum verò vitiatur corpus, pili quoque acquirunt colores secundum qualitates humorum dominantium. Itaque cognoscemus hæc vitia è sanguine corrupto oriri, si color rubidus quadantenus fuerit; à pituitæ verò, si albus; à melancholia, si liuidus, aut fuscus; à bile si pallidus, aut subpallidus erit. Obseruandi quoque sunt, vt nos admonet Actuarius, ij, qui renascuntur capilli, quia prout pili renascentes erunt variorum colorum; ita corrupti succi, qui has affectiones pariunt, varij erunt. A quocunque autem producantur succo, modo facilè, modo difficulter curantur; quod quidem distinguitur ex velocitate, vel tarditate ruboris, & boni sangninis attractione ad locũ affectum, ex ipsa fricatione prouenientis. Quod si per fricationem locus depilatus non rubeat, nulla, inquit Gal. est curationis spes: Si verò rubescit, quanto citius id fit, tanto citiùs curatur. Sciendum tamen, quod tam alopecia, quam ophiasis protracta, & antiquata difficiliori, & ferè impossibilis est curationis. Curatio tamen ophiasis leuior est, quia a tenuiori, & minus copioso humore producitur: Alopecia verò, propter maiorem materiæ copiam, atque crassitiem, magis contumax, atque medicamentis rebellis euadit. Vt iure meritò dixerit Celsus, quandoq; ophiasin sponte curari, alopeciam vix vnquam. Scribebat autem Hippoc. quod quicunque calui sunt, ijs magnæ varices non fiunt: quibus verò caluis varices magnæ superueniunt, ij rursus capillati fiunt. Quo in loco interpres Galenus nos admonet, Hippocratem caluitium nominare illud vitium, quod à Medicis capillorum defluuium, à Græcis madarosis vocatur. Illud enim à vitiosis humoribus generatur, sicuti quæ Alopeciam, & Ophiasin nominant: atque ideo cum ijdem humores ad crura decumbunt, possunt varices facere, & capillos restituere. Si enim prius contigerat, vt capilli à vitiosis humoribus, corruptis eorum radicibus, corrumperentur: verisimile est, vt ijsdem humoribus aliò transpositis, ad primam naturam postmodum redeant. De methodo verò qua deperditi pili reficiantur, sermonem habens Gal. hæc literis mandauit. Quoniam, inquit, in alopecia, & ophiasi, & ptilosi (ita autem vocant casum pilorum, qui in cilijs contingit) & item caluitio amissio

particulæ

Marginal notes: Signa. — Cels. ... 6. cap. 4. — Signa causarum. — Gal. loc. cit. — Gal. 14. meth. 13. — Gal. lib. de re med. parat. facil. — Prognostica. — Gal. lib. 1. de med. loc. cit. — Hipp. 6. aph. 34. — Indicationes. — Gal. 14. meth. 18.

particulæ est, quæ vtilis fuerat: idcirco tanquam in ceteris omnibus, in quibus gigni quippiam volumus, id agimus, vt naturæ motus liberos, minimèque impeditos reddamus, eodem certè modo & in pilis amissis. Quippe naturæ opus est in capite, & palpebris productio pilorum. Cum igitur superius dixerimus, quod ex succis, qui per cutim transpirant, quod fuliginosum est, id pilos tum à principio gignit, tum de cetero veluti succrescendo auget: Itaque quoties hoc vel prorsus perijt, vel redditum est vitiosum, toties pilos corrumpi necesse est. Ac prorsus quidem perdito eo, qui pilos alat, succo, caluities oritur; eodem vitiato, tum quas ophiases Græcè vocant, tum alopeciæ proueniunt. Primum itaque ex naturali eorum ortu, & mutatione, etiam alienam à natura causam inuestigabis. Ab hinc curationis rationem inuenies. Quæ vtique per indicationes omnibus ex humoris vitio genitis morbis, communes peragetur. Si quidem & inhibere, quod influit, & absumere, ac digerere, quod iam ægrotantem locum occupauit, conueniet. Ergo ceu in vlceribus purgationem nocentis succi primum adhibuisti; eodem modo in pilis ipsis ab hac primum curationem inchoabis, scilicet diligenter prius æstimans, quis color cutis sit, cuius cernis corruptos pilos. Nam si his albidior, quam pro naturæ habitu sit, pituitosi humoris purgationem adhibebis: sin pallidior, eiusmodi bilis purgationem non secus, quàm, si nigrior cōspicitur, quæ nigram detrahent bilem, offeres. Sanè ad vitiosi humoris speciem certius agnoscendam non leue tibi adiumentum præcedens victus conferet, præsertim intelligenti, qui nam ciborum nigræ bilis succum congerant, quinam pallidæ, vel pituitæ. Ergo cum iam planè purum ex purgatione corpus existimas, eum, qui in cute continetur humorem digerentibus medicamentis discuties: sic tamen, vt in his caueas, ne adeo calida, acriaque admoueas, vt cutis exulceretur. Quin etiam ea, quæ valenter siccant cauere conueniet, ne scilicet cum vitiato humore etiam vtilem, qui adfluit, absumas: veluti in caluitie fit. Hæc igitur ipse aduertens, admiscui primum ijs medicamentis, quæ alopeciam sanarent, exiguum thapsiæ. Deinde considerans quotidie, quemadmodum ægrotantis natura ab hac esset affecta, vbi vel tumefactam plusculum, vel quodammodo excoriatam vidi, illo quidem die à medicamento abstinui: illeui autem particulam vel galli, vel anseris liquato seuo: quia hæc magis tenuium sunt partium, & altius descendunt. Deinde postero die, si quidem aliquid iam dictorum remanserat, simili modo illeui: sin nihil tale apparuerat, rursus medicamento sum vsus. Atque vt id altè demitteretur, etiam cutem prius linteo infricui, quoad manifestè rubra fieret. Verum si à banco vti eiusmodi medicamento voles, idipsum ex balneo factum cernes, quod prius ex frictione habebas. Iam eos quoque quibus periere ex cilijs pili (quos Græcè ptilous nominant) similibus genere medicamentis sanabis. Deliges autem materiam oculis idoneam: nec per negligentiam committes, vt medicamentum intra tunicas eorum confluat. itaque sicca tutiora sunt, de quibus aliàs diximus. Hæc Galenus. Qui alibi per epilogum

Gal. 1. de cō- po. loc. 1. ferè eadem repetens, scribit in alopecia, & ophiasi primum totius corporis purgationem adhibendam esse. Ceterum post totius corporis purgationem, pituitam per os ducere, per apophlegmatismata vocata medicamenta, vtile esse subdit: deinde vsque adeo affecto loco remedia adhibenda esse iubet. Si quidem igitur, inquit, vitiatus humor circa vnum locum fuerit collectus, scopus medendi erit, vt is quàm celerrimè euacuetur, priusquam ab ipso cutis in quendam malum habitum deducatur tantum, vt etiam si quis vitiatum ipsius humorem euacuet, & boni sanguinis influxum præparet, is adeo etiam à malo in ipsa habitu prius inducto corrumpatur. Si itaque vitiatum succum in cute euacuare volueris, discussorijs egebis. Atque contradicet forsan aliquis, communem scopum in omnibus affectionibus, quæ ex influxu humorum fiunt, contemni, ac subuerti ratus: repelli ipsos debere asserens, partem refrigerando, ac adstringendo, non attrahi calfaciendo: Esse autem discussoria omnia facultate calida. Et certè affirmamus nos quoque verè hæc dicta esse. Incipientes enim ophiases, & alopecias per huiusmodi pharmaca prohibere oportet, ne augescant (interim tamen totius corporis purgatione non neglecta:) non tamen iam principium ipsorum alopeciam, aut ophiasin appellari: sicuti neque scabiem, neque lepram iam appellamus, quæ ex impetigine orditur. Quinimo etiam iam factas alopecias aliquando sola purgatione sanaui, nullo amplius medicamento post ipsam ad locum affectum admoto. Hæc ille. Posteaquam enim quendam adolescentem sola purgatione liberauit, eiusmodi successu impulsus fuit, vt ampliorem eius rei experientiam faceret; & cum in alijs

Dubitatio. *Solutio.*

quoque

quoque eandem curationem adhibuisset, expectauit, vt videret quid citra pharmacorum ad caput adhibitionem esset secuturum. Curati sunt itaque omnes hoc modo: non tamen in iam inueteratis huiusmodi experientiæ periculum fecit. Difficulter enim eluuntur in his cuti admodum insidentes serosi humores: multo verò magis in his, quibus iam ipsa cutis ad malum habitum peruenit, desperanda est per solas purgationes curatio. Ceterum de pharmacis affectioni huic commodis iam dicere incipiam. Euacuantia igitur omnino esse oportet ipsa affligentis humoris. Verum euacuare nihil potest, quod non discutiendi vi præditum sit; eam verò vim citra calefactionem habere non potest. Sed si quidem ex vehementer calefacientium numero fuerit, cutem exuret; Quod si verò non vrat, in principio quidem præclarè iuuabit; progressu verò temporis cuticula capitis super resicata talis euadet, qualem in caluis videmus. Non tamen simpliciter moderatè calidum esse pharmacum oportet, sed intra videlicet fines scopi propositi accedens. Nam & tenuium partium ipsum esse conuenit, quod sanè in altum sit progressurum, vnde radices capillorum generationis suæ principium habent, & vi, qualem diximus præditum propter id, quod crassior sit, & durior capitis cutis, & ob id medicamento opus habeat efficaciore. Itaque si supra hoc, quod vitiatos humores discutiat, etiam idoneum sit ad bonum sanguinem attrahendum velut est thapsia, optimum sanè pharmacum est censendum. At verò cum thapsia longè calidior sit, quam affectioni sit ex vsu, merito eius adhibitionem per se vitamus: exulcerationes enim in cute excitare consueuit, & omnino phlegmonosa œdemata. Quapropter necessariò quædam, quæ eius vehementiam mitigent, admiscemus. Ex quibus clarè liquet Galenum, vt etiam in præsidiorum materijs describendis apparebit, nunquã ausum fuisse ad reprimentia adstringentiaque pharmaca, etiamsi vitium esset incipiens, deuenire, sed purgatione potius vsum fuisse. Neque id ab re, cum adstringentia capiti adhibita in eiusmodi vitijs, necnon in tinea, & id genus alijs, sæpe perniciosa sint. Quia vitiosa materia in cerebrum, & subiectas partes, & nobilia viscera repercussa lethalia mala facilimè parit, quemadmodum nos in duobus pueris, sub hac curandi ratione extinctis, obseruauimus. Omittimus adstringentia materiam magis incrassare, & cutis meatus adstringere, vt inde vitiosum excrementum amplius discuti non possit.

De Alopeciæ, & Ophiasis curatione.
Cap. IX.



IS de scopis exaratis, ad eorum materias pergendum. In quibus proponendis illud primum animaduertẽdum, vt dum malum à sanguine corrupto generatur, & vt ait Rhases cutis capitis fuerit rufa, & venæ eius repletæ, post alui lenitionem, communis vena aperiatur, vel, si hæc non appareat, cephalica, aut basilica dextri, vel sinistri brachij, prout malũ vel dextram, vel sinistram capitis partem magis occupabit; ita tamen, vt sanguis in moderata potius quantitate (quia vnà cum plenitudine cacochymia quoque redundat) & prout vires sustinebunt, euacuetur. Quod si post vniuersalem phlebotomiam capitis venæ turgidæ adhuc appareant, & cutis capitis rubida, etiã vena frontis, vel aliæ capitis venæ ex Auicennæ consilio, erunt aperiendæ: Secus ab hoc præsidio abstinendum: quia sanguine indigemus. De pharmacis autem quæ vniuersorum corpus expurgant, Gal. hæc habet: Quare in istis, inquit, primum totius corporis purgationem adhibebis, aut pharmaco pituitam ducente, aut eo, quod bilem pallidam, aut nigram trahit, coniectura redundantis humoris ex colore cutis facta. Ego verò semper per hieram purgaui, aliquando veratro nigro adiecto, vbi atræ bilis humorem expurgare volui: aliquando scammonea, si amara bilis purganda esset: Si verò pituitosiorem exuperare conieciſſem humorem, nihil admiscui. Tales enim ex capite præsertim, hiera ex colocynthide purgare consueuit, simulque cum his etiam alios quosdam humores, etiamsi scammonia, aut veratrum nigrum, aut epithymum non assumpserit. Quin & ex aloe catapotia, quæ tum scammonium, tum colonynthidem admistam habent, vtiliter ita affectos purgare solent. Vnde cum adolescens quispiam bonæ habitudinis, & exercitijs assuetus

Chirurgia.

Medicamẽta purgantia.

Galen. 1. de loc. med. c. 1.

assuetus hanc affectionem in capite haberet (erat autem satis familiaris mihi, vt victus rationem etiam ipsius, qua iam per tres, aut quatuor menses vsus erat, probe nossem: explebat enim se quotidie ferme fungis) hunc sola hiera ex colocynthide purgaui bis in quinque diebus: in prima sanè purgatione quatuor ex ea drachmis, in secunda quinque exhibitis. Priusquam verò ad has purgationes peruenirem, catapotia ex aloe vndecim ei præbui, ciceribus ferè magnitudinem parem habentia. Habent autem catapotia hæc colocynthidis partem j. aloes, & scammoneæ vtriusque partes ij. his ego vnam partem succi absynthij misceo. Hæc ille de purgantibus. Verum quoniam hac nostra tempestate corpora hæc valida pharmaca non ita sustinent, optimum, ac tutius esse arbitramur, vt in ijs adhibendis tria præsertim animaduertantur. Primum est, vt hæc magis correcta offerantur: quocirca, vt etiam in sermone de achoribus, & fauis docuimus, optimum est in pilulis, seu catapotijs ex aloe coficiendis, loco scammonij, diagridium; loco autem colocynthidis, trochiscos alhanda vsurpare, & cum absynthij succo, vel syrupo de stœchade pilulas efficere: quæ quidem in hoc malo congruæ, & satis optimæ erunt. Secundo in minore dosi erunt hæc purgantia exhibenda. Vnde si Gal. vndecim pilulas, quæ ciceris æquarent magnitudinem, præbebat, nos scropulum vnum in pueris ac debilioribus corporibus; drach. semis in mediocribus, & scropulos duos in robustis corporibus, atque natuis poterimus offerre. Similiter hieram ex colocynthide à duabus drachmis vsque ad quatuor propinabimus. Tertiò ante horum purgantium vsum & exhibitionem præstantissimum erit corpora syrupis, & alijs præparantibus medicamentis, de quibus in sermone de achoribus, & capite de tinea abundè diximus, fluida facere, & vitiosos humores adæquantibus purgationi parata reddere. Memoriæ gratia in pituitosa materia, probatur syrupus de betonica, de hyssopo, oxymel simplex, & compositum, syrupus de stœchade, cum decoctione foliorum betonicæ, saluiæ, stœchados, origani, maioranæ, & similium: In biliosa syrupus de cichorea, de endiuia, de soncho, cum decoctione foliorum cichoreę, endiuiæ, hepaticæ, portulacæ, lactucæ: In melancholia syrupus de boragine, de pomis de fumaria cum decoctione eiusdem fumariæ, buglossæ boraginis, lupulorum, scolopendriæ. Insuper præter purgantia iam enumerata, in pituitosa materia laudantur pilulæ cochiæ, præsertim si cum pituita bilis quoque flaua iuncta fit, necnon hiera Pacchij, aut hiera Archigenis: in biliosa possunt vsurpari pilulæ de tribus cũ rhabarbaro, aggregatiuæ, vel id genus aliæ, quæ etiam scammonium, & aloen recipiunt: In melancholica probantur cochiæ præparatæ cum elleboro nigro, pilulæ de lapide Armeno, de lapide Lazuli, de fumoterræ. Semper enim purgantia in pilularum forma sunt exhibenda, quia forma hæc in capitis affectionibus opportunissima est: quippe quæ cum paulatim pharmacum de potentia ad actum deducatur, à capite ipso strenuè peccantes humores reuellat. Dum autem vnica purgatio non sufficiet, dato debito interuallo, quod viribus recreandis sit idoneum, Secunda & tertia, prout succorum prauorum redundantia id exigit, iteranda erit. In infantibus verò tum purgatione, tũ phlebotomia prætermissa, abstinentia ipsa contenti esse debebimus. Sicuti autem puberes tolerant drach. j. pilularum cochiarum; ita pueri decem annorum tertiam partem drachmæ vnius admittere possunt. Post totius expurgationem, eis ad masticãdum, gargarizandum, & caput per nares purgandum, exhibenda sunt, quæ in sermone de capitis dolore fuere conscripta. Exinde verò ad Topica ipsa accedendum est. In quorum enumeratione Gal. primum simplicia proponit. Et primo loco thapsiam ipsam, sed quia nimis vehemens est, necessario ea, quæ eius acrimoniam mitigent, ei admiscet. Id autem, vt ille ait, ceratum ex oleo apparatum præstare potest. Sit autem tenuium partium, quale est Sabinum, præstat item moderatè esse vetustum. Ad hanc rem confert item oleũ Cicinum, vel aliud ex reliquis Græcis oleis, citra olearum germina apparatis, præsertim si sit vetustum. Hispanum verò, & omphacinum omnino fugiendum. Vsus est autem Galenus & sola thapsia vehementi eius facultate larga aquæ admistione exoluta. Vis autem thapsiæ post annum multum exoluitur, atque amplius adhuc post duos annos: auderet autem quispiam dicere inutilẽ penitus eius vsum ad triennium progressæ. Hæc igitur non ignorans imparem aquæ modum admiscebis. Ad recentem enim plurimum aquæ addes, eamque sæpe singulis diebus illines; ad imbecilliorem verò per tempus redditam minus adfundes, quo & ob crassitudinem diutius adhœrere, & propter liquiditatem non statim defluere contingat. Quin & cum compositum pharmacum paras, quod thapsiæ admistionem requirit,

Præparantia. Purgantia. Purgantia caput. Topica. Simplicia. Galen. 1. de local. 1.

requirit, non æquale semper pondus thapsiæ admiscebis, sed quantum pro tempore ætatis eius conuenit, tantum ipsum pondus augebis. Similiter ex his, quæ fortiter calfaciunt, est euphorbium: quæ autem sufficienter, laurinum siue oleum, siue vnguentum. Nam hæc quoque calfaciunt ac discutiunt, & sanguinem in locum ab ipsis calfactum trahunt. Licet igitur ipsis & per se vti: euphorbium quidem in oleo læuigando soluendove; laurino verò solo citra alterius mistionem illinendo: si tamen nimis fluidum appareat, parum ceræ addatur. Cum verò multo calidius sit recens euphorbium, si quidem eo, quod duorum, aut trium annorum est, vteris, ad libram vnam Romanam olei, euphorbij vnciam vnam, id est, duodecimam olei partem inijcies. Recenti verò euphorbio parcè vtaris quamminima eius parte primum admista, aut etiam ceræ vncia vna insuper addita, quoad videas quantum hominem excalfaciat: licebit enim tibi, vbi rursus uti uoles, denuò addere, siue oleum, siue ceram malis. Et idem de thapsiæ vsu dicendum. Peccatum enim infra modum nullum detrimentum affert; supra verò aliquando exasperat, vlcerat & inflammationem suscitat. Atqui etsi in sequentibus compositis pharmacis quandoque euphorbium, aut thapsia scribatur, pondus ipsorum in vigore existentium non veterum intelligere oportet. Valde enim vetusta omnino fugienda, non solum in his pharmacis, sed omnibus etiam alijs, quæ scilicet succi, & liquores, & flores, & folia, & fructus, & radices, & semina sunt: quando etiam metallica longiori tempore viribus infirmantur. Vnumquodque autem proprium uigorem indicat ex odore, gustu, aliquando etiam ex colore, & secundum crassitiem compage. Oportet igitur in omnibus non solum calfacientem, verum etiam quamcunque aliam vim quanta distantia, & ordine id faciant, cognoscere. Ex his itaque, quæ alopecijs conferunt, calidissimum est euphorbium; eo minus calidum est thapsia; post hanc verò sinapi, & nasturtium. Iuxta alium autem modum limnitis nulli horum secundum est: ea autem & adarcium, & adarce uocatur; post hæc succedunt sulphur, & nitri spuma, ipsumque nitrum molle ustum, quod Berenicarium appellatur, uti & aphronitrum album, leue, ac laxum, quod nullam in se terream asperitatem habet; Deinde veratrum utrumque, & erucæ semen, & laurinum oleum, vel unguentum: adhæc alcyonium vtrumque vstum, & non ustum; præstat tamen ustum; & arundinis radices, itemque cortex ambo usta: Quin & pix liquida, & cedrinum, quod aliqui cedriam appellant, & murium stercus, ursæque adeps: præstat autem, si uetustior extet: Quanquam etiam hyenæ, leonisque, ac pardalis, ac anseris adipes conueniunt, & quicunque tenuium partium substantiam habent; quò promptè in cutis profundum penetrare queant, & ad radices vsque capillorum pertingant. Sed & amygdalæ amaræ integræ vstæ commodæ sunt, & thus aceto acerrimo confectum. Confectum autem intellige, cum pluribus diebus, & maximè ad Solem diutius cum acri aceto sit contritum. His itaque omnibus utaris licet, ad fortia quidem cerato liquido addito, debilibus uerò oleo laurino imbutis. Et inueteratas quidem, ac difficulter curabiles cum fortibus persanare conaberis; incipientes autem, & paruas cum debilibus. Cinis insuper abrotani, ut idem Galenus habet, cum oleo tenui, cicino scilicet, aut raphanino, aut sicyonio, aut veteri, & maximè Sabino ad alopecias accommodatur: tum barbam tardius, segniusque enascentem cum aliquo dictorum oleorum elicit: sed nec minus illis lentiscino maceratum. Asphodeli quoque radicis vstæ cinis, quia ualentius digerit, alopecias sanat. Is pariter de Cepa mentionem agens scribebat, quod in Sole alphos abstergit, tum alopecijs attrita pilos alcyonio citius restituit. Cyclamini quoque radix, ait ipse, cutim detergit, cum in alijs, tum quod alopecias, ephelidas, omniaque exanthemata siue efflorescentias curet. Nymphææ itidem tum radix tum semen, quia abstergendi vim possident, alphos sanant, & alopecias. Cœterum ad alphos macerantur aqua; ad alopecias pice liquida. Sed ad hæc aptior est ea, cuius radix nigra est. Alius verò eodem Gal. referente, caput totum leporis comburens vtebatur ad alopecias cum adipe vrsino: sicuti quidam vngues caprarum deustos, moxque aceto perfusos alopecijs illinunt. Est enim talis cinis extenuatoriæ facultatis. Alij ranarum ustarum cinerem cum pice liquida alopecias sanare referunt. Et Hippocampum animal illud marinum, si totum usseris, alopecijs prodesse proditum quibusdam est, quem quidam vnguento amaricino commiscent; quidam pici liquidæ; alij veteri adipi suillo. Murium quoque capita combusta, & ex melle illita, vt Galenus tradit, mederi alopecijs possunt, quo in loco,

Gal. 10. simpl. & primo loc. med. c. 1. & 11. simp.

Gal. 6. simp. fer. prop.

Gal. 7. simp.

Gal. 11. simpli.

Galen. lib. de ther. ad Pison. c. 7.

paulo post, murium stercus ex aceto tritum easdem alopecias sanare affirmabat. *Gal. 1. de loc. med. 1.* Cæterum pharmaca composita, quæ partim à prioribus Medicis alicuius æstimationis magnopere sunt laudata, partim à Galeno per longam experientiam sunt examinata, ac probata, eiusmodi existunt. *Composita medicamẽta.* Recip. Euphorbij, thapsiæ, laurini ana drach. ij. sulphuris viui, veratri vtriusque drach. j. neque refert, albo an nigro veratro, quod ad manum sit, vtaris. His admisce ceræ drach. vj. Laurino, aut cicino, aut veteri oleo præliquans, vtereque hoc, vt fortissimo pharmaco ad inueteratas, & ægrè curabiles alopecias. His etiam aliquando nasturtij drach. j. aut alcyonij vsti drach. j. admiscuit Galen. Præstat autem in hunc vsum alcyonium, quod durius est, & magis asperum. Quod si thapsia non adsit, pro ipsa tantum pondus seminis nasturtij, aut erucæ addes, aut ipsum adeo nasturtium. Si verò laurinum non habeas bonum, picem liquidam adde: Laurinum enim picem liquidam adeo non excellit: Thapsia verò reliquorum respectu maximum excessum habet. Hoc sanè pharmacum omnium, quæ ad hanc affectionem efficaciter faciunt, fortissimum, valentissimumque est, quando scilicet affectio ægrè recipit curationem. Quæ enim parua est, & incipiens etiamnum, sola purgatione sanatur, & per singula, quæ recensuimus, simplicia vsta, aut per se sola laurino aut cedrino, aut liquida pice, aut cicino, aut veteri oleo excepta. Admiscuit etiam aliquando Galenus mel pro cerato, minori tamen copia & pondere, neque vlla ex parte peius euasit pharmacum. Quæ verò etiam ex adipibus componuntur thapsiæ pauxillum assumentia prosunt, præsertim si euphorbium, & adarcium addatur. Sit autem adipis cuiusque pars vna (sunt enim tres, leonis, pardalis, & hyenæ) Si verò hyenæ adeps non adsit, sufficit præsentibus reliquis duobus vti, anserino admisto. Si verò omnes quatuor habeas, simul omnes miscebis, addito insuper, si adsit, vrsino. Ad totam vero eorum molem duodecimam thapsiæ, aut euphorbij partem addere satis est: aut si omnino fortius facere velis, amborum simul addes: nam & per experientiam hæc ipsa pharmaca efficacia sunt iudicata. Verum ante omnia methodi meminisse oportet, circa vsum fortium præsertim medicamentorum. *In pharmacorum fortium applicatione, quæ nam sint obseruanda.* Qui enim singulis fortibus pharmacis vtitur, in principio quidem ipsa molliora adhibebit, admistione scilicet eorum, quæ ipsorum vires exoluunt: qualia sunt oleum, & cera, & ex simplicibus, quæ diximus debilia, velut est thus, & arundinis cortex, ac radices exustæ, & amygdalæ amaræ, & quæcunque eius generis existunt. At verò post primum vsum, cum jam secundo adhibere voles, intueri oportet, qualem alterationem in affecta particula prius admotum pharmacum fecit, atque illius respectu aut vehementiam facultatis eius lenire, aut augere. Velut in hac affectione primum quidem capillos nouacula tollere oportet: deinde affectam cutem per linteolum, neque asperum, neque molle nimis confricare, ac videre ad quantum ruborem per huiusmodi motionem, ac confricationem peruenit. Hoc enim tibi ex vsu ad spem curationis est futurum. Namque si per exiguas defrictiones rubefiat, moderatam affectionem opinaris; si verò per multas, grauiorem, præsertim cum quædam cuticulæ, etiamsi multum confrices, non rubefiant. Manifestum igitur est has omnium difficilimè curari, sicut contra facilimè, quæ facilè rubescunt: quæ verò inter has medio modo habent, tantum inter se differunt, quantum vel ad pessimas, vel moderatissimas accedunt. Post primam igitur (vt ad methodum reuertamur) pharmaci, cuius vsum elegeris, adhibitionem, intueri conuenit, primum quidem, an etiam ante confrictionem cutis coloratior appareat: deinde verò an cum pauciore, quàm prius frictione, aut an cum æquali quidem, magis tamen, quam prius rubicunda fiat. Præ omnibus verò animaduertere oportet, ne in fortium pharmacorum admotione cutis vltrà, quam conuenit, concalescat, id quod tum ex colore ipsius, tum digitorum tactu depræhendes. Colore namque flauior apparebit, & digitorum contactu abundè calidam agnosces. Hæc itaq; animaduertenda: quia periculum est, iterum atque iterum repetito eorum vsu, cutem exuri. Quare ad molliora transeundum est, aut eodem vtendum, sed cerati, aut adipis, vel liquoris cuiusdam oleosi mistione vi ipsius exoluta. Vtendum est & olei calidi dulcis irrigatione, & cataplasmate ex pane, fomentisque & scarificationibus, ac cucurbitis, & cerati illitione, & virium refectrice diæta. Cæterum perseuerante affectione vtendum est assidua rasura, & rubificatorio ex sinapi, vt est prædictum, itemque frictionibus præscriptis, & sequentibus diebus illita pice, aut oleo cedrino, & post confrictionem scarificationibus. Quidam verò aciculas colligẽtes hoc modo,

vt aciem

vt aciem ad cutem vergentem habeant, per ipsas cutem compungunt. Verum post rubificationem per defrictionem inductam, & post scarificationẽ, pharmacis, quæ ex alto euocare, ac meatus transmutare possunt, vtemur. In omnibus autem communis scopus his sit, vt in aere calido pharmacum adhibeamus, & maximè si fieri possit, in loco insolato, qui non habeat auram ipsum perflantem: hyemis autem tempore præstiterit in balneo his pharmacis vti. Heras porro alcyonium, quod asperius est, vstum, ac cum oleo ex lucernis accepto (tale enim tenuium magis est partium, quia veluti coctum est) tritum, ac læuigatum loco illinebat. Hocque pharmacum viribus medium est, & proinde ad medias magnitudine alopecias curandas sufficit. Infirmum autem est, si calami radicem, aut corticem, aut amygdalas amaras, vel simile vstum cum oleo committas. Fortia verò sunt, quæ ex euphorbio, & thapsia, & adarca apparantur. In medio verò istorum est alcyonium vstum; sed moderatius redditur oleo admisto; fortius vero liquida pice, aut laurino affuso. Et sanè Gal. cuidam, qui vrsino adipe frustra vsus fuerat, alcyonium admiscere consuluit, à quo postea breui sanus euasit. Is quoque sordibus lucernarum luto similibus consuluit cuidam rurali alopeciam, vbi prius rasisset, illinire, simulque frequenti abrasione vti: qui ab ipsis persanatus est: quia affectio moderata erat. Aliud Heræ pueris aptum: Rec. seminis erucæ, nasturtij, nitri ana partem j. contritis picem liquidam affunde, & loco prius confricato impone: & vbi abstuleris locum spongia calida imbuta extere. Auferes autem bis per diem. in pueris enim maximè efficax conspicitur hoc pharmacum. Fortius enim est priore, sed inueteratam & ægrè cedentem alopeciam non curauerit. Sed in molli cute præditis vitiatos humores facilè discutit. Ex Critonis autem traditis erinaceorum marinorum testas exustas, aut arundinis radices vstas, adipe vrsino subactas locis perfrictis impone. Aut chamæleontis radicem cum aceto diligenter tritam imponito: Hæc enim moderatas affectiones sanant. Ad inueteratas verò muscerdæ drach. ij. thuris drach. ij. aceto acerrimo dissoluta prærasis locis illine. Quæ verò ad easdem à Critone tradita sunt, ab vnoquoque videri possunt. Cleopatra verò sandaracham tritam, largoque visco quercino exceptam, & in linteolum inditam, loco per nitrum prius præparato imponebat. Sed Galenus etiam nitri spumam ad prædicta admiscebat, & egregiè efficax pharmacum euadebat. Præstat autem locum vlcusculis impactis scarificare. Aliud: Corticis arundinis, spumæ nitri ana drach. iiij. pice liquida exceptis vtere. Sed locum assiduè radere oportet, & cum linteolo confricare. Sic enim quàm celerrimè pilos producet. Archigenes verò præ ceteris testudinis marinæ sanguinem illitum ex laudatissimis esse ait. Qui etiam valde probat nuces Ponticas vstas, & staphidas syluestres cum vnguento laurino. Sed, vt idem ait, & Galenus omnino comprobat, ad alopecias inueteratas egregiè facit, si thapsiæ succum, aut radicem cerato exceptum loco imposueris, etiamsi nihil præterea aliud facias. Decidit enim superna cutis, & sanie serosa madet, capillique sua sponte subnascuntur. Si quis plura alia, atque valentia pharmaca ad alopecias desideret, videat ea, quæ ex Sorano, & Asclepiade ab ipso Galeno prodita sunt. In materia autem pituitosa Rases hoc vtebatur: Recip. Euphorbij, thapsiæ, Olei laurini ana part. j. & permisce cum cerato facto ex oleo laurino, & cera partibus æqualibus: fortius autem erit pice eis admixta. Aliud eiusdem ad alopeciam mirabile: Recip. spumæ maris, quam alcyonium Græci vocant drach. x. baurach, id est, spumæ nitri, sulphuris, quod non tetigit ignem, gummi, rutæ agrestis ana drach. ij. Staphisagriæ, & cantharidarum ana drach. j. misce omnia cum fœce olei antiqui, & post fricationem ex eo locus inungatur. & si eleuentur ampullæ, dimittatur, donec sanentur ampullæ, eas cum adipe anatis, vel gallinæ inungendo. Is etiam ait staphisagriam tritam cum oleo laurino, aut cum lacte tithymali esse mirabilem: vesicæ tamen factæ rumpantur. Quod si pharmacum in vno loco ampullas non excitet, curandæ prius factæ, deinde medicamentum in loco, in quo excitatæ non sunt, admoueatur. In materia autem biliosa Mesues hoc particulariter vtebatur. Recip. Spumæ maris, id est alcyonij, spumæ nitri, amygdalar. amar. combustarum, radicum cannæ vstarum, stercoris muris, corticis auellanarum vstarum ana partes æquales: conficiantur cum aceto, & adipe anatis, & illinatur, post fricationem cum alcyonio, & panno aspero. In melancholica, quæ fortioribus eget, Rec. thapsiæ aqua dilutæ drac. j. abrotani combusti drach. ij. corticum auellan. combust. capitum muscarũ ana drach. iij. cantharidum drach. j. olei rosacei quant. satis est, vt fiat linimentum.

Medicamẽta Heræ.

Critonis pharmaca.

Cleopatræ medicamẽ.

Lib. 1. de cõpo. loc. 1.

Medicamẽta pro diuersis materiebus.

Gal. loc. cit. Ras. 25. contin.

Pro sanguinea Rec. Ladani drach. ij. olei vitellorum oui vnc. j. chartæ vstæ, capitum murium vstorum ana drach. ij. cum oleo veteri fiat linimentum, & inunctio. Ante horum autem applicationem semper optimum est pilos corruptos euellere, vel volsellis, vel, vt antiquis erat in vsu, pice pilis admota. Post eorum autem euulsionem, antequam pharmaca admoueantur, vt superius diximus, affecta pars aut pannis asperis, aut nitro, aut pumice, aut folijs ficuum, aut radice raphani, aut cœpis fricanda est, donec rubefiat. Sciendum insuper loci vesicationem optimum esse remedium, vt pili renascantur. Vesicatorium autem bonum est, quod Rec. cantharides abscissis capitibus, alis & pedibus, tere, & misce cum oleo, donec inspissentur, ac cum eo locum inunge. Inquiunt autem Mesu. & Auicen. quod quoties nascuntur pili, abradi sæpius debent, quia sic firmi, ac crassiores fiunt. Tradunt autem nonnulli artemisiam, si misceatur cum oleo vetusto, & inungatur, ortum barbæ tardius prouenientis, inducere. & insuper inquiunt, quod oleum, in quo bullierit squilla, facit nasci pilos in Ophiasi, & Alopecia. Rases verò scribebat, quod cœpe pilos generat in alopecia magis, quam alia medicamenta: quod ante ipsum Dioscorides quoque literis mandauit. Dum verò pili decidunt propter crassam humiditatem poros cutis obstruentem, probantur cantharides recentes, abscissis capitibus, pedibus, & alis, si in vmbra exiccatæ deinde terantur cum oleo violato, aut oliuæ, & coquantur cum eo, donec incrassentur, & locus illinatur. Idem præstat mel anacardinum: necnon vngulæ asini adustæ, & cornua adusta si cum oleo sesamino fiat linimentum, quo locus illiniatur. Experta quoque est lacerta, quæ est in domibus, quando interficitur, & exiccatur, & teritur, & cum oleo illinitur. Alij inquiunt lacertam interficiendam comburendam, & in puluerem redigendam esse, & depilatum locum melle tepido inungendum esse, & superinspergendum puluerem lacertæ, quia cum hoc sæpe fit, vtile, expertumque inuenitur medicamentum. Verum in alopecia & ophiasi plus ad curationem totam viuendi rationem valere, quam pharmaca ipsa tradit Asclepiades. De ea itaque scribens inquit, abstinendum ab omni vino in totum; & item à nimia repletione. Is quoque prohibet & carnium esum, & casei & lactis, & leguminum, omniumque simpliciter, quæ etiam exigua copia accepta vim habent, qua multum & nutriant, & inflent. Quin & exercitia plurima fugere iubet, velut etiam assidua balnea, & multas exudationes. Soranus verò scribebat, quod vbi recens malum est, primum abstinentia proderit: deinde simplex exiguus cibus boni succi. Auicen. autem vtitur cibis optimi succi, vt scilicet vitiosos humores ad benignam naturam deducat, & vinum concedit, sed attemperatum, & mistum cum aqua, sed subdulce, ac clarum, & tenuem substantiam habens. Rases verò frequentem vsum alimentorum humidorum, & optimi succi comprobat, & potissimum panem ex simila, gallinas, & vitellos ouorum, his quæ incrassant, aut sanguinem exacuunt omnino euitatis. Fugienda quoque Venus est: & aluus lubrica, ac soluta seruanda: curris autem, solicitudinibus, & alijs animi prauis accidentibus omnino posthabitis, læto animo, quantum fieri potest, viuere debent. Auicennas verò scribit, quod proficuum est, operire caput pileo ex pellibus parato die, ac nocte, quia sudorem mouet, materiæque discussionem adiuuat.

Gal. 1. de local. 1.

Ad crassam humiditatē poros cutis obstruentē.

Victus ratio.

De Capillorum defluuio. Cap. X.



ALOPECIAE, Caluitiei, & Ophiasi Galenus, vt quemcunque capillorum defectum persolueret, defluuium capillorum statim subtexuit. Ex qua quidem particulari tractatione facilè colligimus, quod quāuis capillorum defluuium nomen commune sit, quod de his omnibus enumeratis capillorum deperditionibus prædicari potest: nihilominus per ipsum quid diuersum intellexit, & per capillorū defluuium eam affectionem declarare voluit, quę quidem non ab humorum inopia, seu à cutis capitis siccitate, ac duritie, aut à vitiosis succis fit, sed ab alia particulari causa proficiscitur. Quæ quidē cū minus vehemens sit, nunquā ferè contingit, vt eius vi aut vniuersum caput, aut aliqua determinata eius pars, siue spatiū particulare omnino depiletur, & exactè nudū remaneat. Vt ob id capillorū defluuiū, de quo particulatim nunc agimus, sit mitior quidam

Gal. 1. loc. 2.

Nomen.

Natura.

quidam capillorum defectus, seu eorum rarefactio, siue paucitas à mitiori quadam causa proueniens, quam sit illa, quæ alopeciæ, ophiasis & caluitiei causa est. Hanc autem Galen. ad raritatem cutis, inopiamque substantiæ pilos generantis reduxisse visus est, ita tamen vt semper, tum in causis, tum in scopis huius symptomatis curatiuis proponendis non disiunctiuè, sed semper coniunctiuè loquatur. Sic enim scribit libro 1. de compos. medicament. per loc. capit. cita. Πάθος ἕτερον τριχῶν ἐςὶν ἀραιότητι μὲν τοῦ δέρματος, ἐνδείᾳ δὲ τῆς γεννώσης αὐτὰς οὐσίας ἑπόμενον, id est, ad verbum: Affectus alius capillorum est raritate quidem pellis, inopia autem generantis ipsos alimenti consequens. Sed etiam infra de pharmacis loquens pro huius affectus curatione, semper ea proponit, quæ facultates habent vtriq; scopo inseruientes. Quod quidem animaduertere debuissent illi, qui capillorum defluuium in duplicem causam, disiunctiuè Gal. verba interpretãtes, referre voluerunt. Videtur igitur apertè velle ad hoc symptoma producendum cutis raritatem solam non sufficere, sicuti neq; inopiam alimenti seorsim sat esse, sed perpetuò duo hæc vnà concurrere. Qua de re paulò infra animaduertit, quod consueuit hæc circa pilos oblæsio sæpe ijs, qui ægrotarunt, accidere; rarò autem citra morbum. Nos autẽ affectionem hanc (mitiorem tamen, & in qua capilli rariores quidem fiunt, sed cutis capitis à capillis satis contecta remanet) in plerisque, præsertim mulieribus ipsis, æstiuo tempore fieri obseruauimus, citra vllum alium morbum. Cum enim propter ambientis calorem cutis rarefiat, & plurimus sudor prouocetur, facile est, vt etiam substantia, ex qua pili gignuntur, transpiret, & ita alimenti inopia vnà cum cutis raritate coniungatur, capillorumq; defluuium subsequatur. Ex quibus facile videre est, quantum penes effectricem causam hoc capillorum defluuium à caluitie differat. Hæc enim ab humorum inopia vehementi, & cutis capitis oritur siccitate adeo ingenti, vt ab ea eius meatus potius omnino claudantur, & conniueant, obliterenturque: illud verò ob modicam quandam seu mitiorem substantiæ pilos gignentis inopiam, & cutis capitis raritatem, & subinde contrariam meatuum ipsius dispositionem exoritur. Alexander Trallianus duas alias huius passionis attulit causas, nimirum, cutis densitatem, & prauorum humorum expurgationem: Has tamen à Galeno repudiatas fuisse arbitrandum est: quia ab hac potius alopeciam vel ophiasin; ab illa caluitium, dum scilicet iam incipiunt, & sunt adhuc in fieri, produci quis iure censebit. Possumus nihilominus nos causis à Gal. productis aliam causam afferre, nimirum vaporem virulentum, atque malignum ad caput eleuatum, capillorumque radices erodentem. Vnde nõ modo in morbo illo Gallico vocato, verum etiam in venenis epotis, & extrinsecus admotis (putatum enim est à quibusdam, quod, si quis Salamandram contangat, capilli defluant) capillos sæpe decidere cernimus. Quod etiam in malignis, pestiferisque febribus eadem de causa fieri frequenter obseruamus, propter virulentos scilicet vapores ad caput eleuatos. Neque enim quis existimare debet, in ipsis pilorum alimentum solum absumi, cutemque capitis à caliditate rarefieri: quia in synochis, & alijs vehementibus febribus, quæ valde exurentes sunt, non tamen malignæ, capillos, post ipsas iudicatas, non ita decidere videmus. Quemadmodum verò vitium facile ex ipsius tradita natura cognosci & ab Alophecia, Ophiasi, atque Caluitie distingui potest: (in capillorum enim defluuio in vniuersa capitis regione modo plures, modo paucio res indifferenter pilj decidunt, in alopecia, & ophiasi in nonnullis determinatis spatijs) Ita ex prægressis morbis, & alijs enumeratis causis, anteactaque victus ratione eius causæ internosci, atque inuicem distingui facile queunt. Si enim à cutis raritate, & alimenti capillorum inopia ortum ducat, quod vt plurimum contingit, vel morbus aliquis diuturnus, qualis est tabes; vel inediæ; aut intensæ vigiliæ præcesserunt; & adsunt signa capitis calidioris, & humidioris, & eiusdem texturæ raritatis. hique præter id, quod ab externis causis tum calefacientibus, tum refrigerantibus facilè læduntur, plurimum sudant, præsertim circa capitis regionem: & alia signa adsunt calidum, & humidum caput indicantia. Reliquæ verò causæ facilius adhuc patent. Ex huius quoque mali natura concepta facile constat facilius curari posse, leuiusque esse ipsa alopecia, & ophiasi. Cutis enim capitis in capillorum defluuio nullam siccitatem, & ægrè curabilem affectionẽ patitur, neq; à prauis succis inuaditur, qui ægrè discutiantur, neq; alimentũ pilis vndequaq; deficit, sicuti in caluitio contingit. Et vno verbo, capillorũ defluuiũ à mitiori quadam exoritur causa. Quod si quis nobis obijciat venena, febres pestilẽtes, ac Gallicum morbum vehementissima, atq; grauissima mala esse, huic facilè respõdemus,

Causæ.

Gal. loc. cit.

Alex. Tral. lib. 1. c. 11.

Signa.

Prognostica.

Licebit etiam aliquando vnguentum nardinum adhibere in ætate frigida, & tempore hyemali. Bonum autem pharmacum ad omnia est diuitum fœminarum vnguentum, quod Romæ vocant foliatum. Non minus autem eo commodum est, imò magis, quod appellant spicatum. Quare cum his vel solis diuites vngi iubeto, & cum optimo nardino. Ladanum verò in duplici vase liquefacito, & liquefacto vnà cum nardino ex prædictis pretiosis vnguentis, quodcunque ad manum fuerit, admisceto. Atque hæc quidem medicamenta mihi suffecerunt, vnà cum refectoria, ac salubri diæta, quæ in plerisque sola etiam suffecit. Probatur quin etiam à Galeno Heræ medicamentum. Qui quidem ladanum in vino austero rigatum terit, & oleo myrteo, ac vino vicissim affuso ad crassitudinem mellis redigit, ex eoq; ante, & post balneum caput illinit. Præstat autem & polytrichum, quod quidam adianthum vocant, dimidia ladani portione adijcere, & cum myrtheo, aut nardino vti. Cleopatra in libro de ornatu pharmacum, præter reliqua, capillos augens cito, densansque, ac denigrans ita proponit: Ladanum cum oleo,& vino dulci leuigatum, ac ad mellis crassitiem redactum perfrictis illinito. Non longè quoque postea aliud pharmacum scriptum est his verbis: Ad defluuium capillorum citra morbum accidens: Brassicam aridam tritam ex aqua impone, aut loti radicem eodem modo. Quæ autem Crito ad conseruandos, & augendos capillos scripsit, itemque quæ à defluuio ipsos praeseruent, & tandem ad caluitiem ipsam conducant, à Galeno fuere exarata, & ob id loco citato erunt perquirenda. In horum autem localium applicatione nedum præstat caput prius fricare, verum etiam capillos tondere, aut etiam deradere, quia tum medicamenta maiori cum vtilitate, ac rectius adhibentur, tum pili ex derasione magis roborantur. Quidam prius caput abluunt hac lotione: Recipe lixiuij facti cum cinere quercus lib.v. lentisci pugil.ij. fol.rosarum pug.j.s. myrtillorum pug.j.ladani,& acaciæ petia ligatorum ana drach. ij. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, deinde colentur, & abluatur caput. Qua facta capitis lotione, hanc adhibent inunctionem: Recipe ladani partes duas, myrtillorum partem vnam, paretur oleum per elambicum. Cauenda autem, vt nos admonet Galen. nimis adstringentia pharmaca, necnon nimis, quam par sit, refrigerantia, præsertim in tempore frigidiori, & regione, ac naturis, quæ calidæ non sunt. Etenim perfrigeratas horum vsu mulieres vidit Galen. vt inde in grauedinem, ac raucedinem, defluxumque à capite ad pulmonem delaberentur. Victus autem ratio in capillorum defluuio, quemadmodum superius diximus, debet esse talis, vt per eam boni succi generationem,& allationem procuremus. Malum enim hoc, ait Gal. magis sanè victu vires reficiente, atque salubri, opus habet. Multique citra medicamenta perfectè sanati sunt, atque id breui. Quæ autem sit refectoria, ac salubris diæta, alibi sæpius declarauimus.

[Margin: Heræ medicamétum. — Gal.1 loc.2. — Gal. loco cit. — Victus ratio. — Gal. loco cit.]

De Canitie, & Capillorum vitiosis coloribus, eorumq; tincturis. Cap. XI.



POST capillorum defluuium Gal. de vitioso capillorum colore, ac pharmacis ipsum corrigentibus, tractationem statim subnectit. Quo pacto autem vitiosus eorum color, qui talis à causis præter naturam fuit procreatus cognoscendus sit, ex his, quæ in sermone de pilorum natura & ortu in hoc vltimo libro, & in primo capite primi libri dicta sunt de pilorum differentijs, pro ætate, regione,& corporis natura, ipsiusq; capitis temperamento, facilè patet. Nam dictum fuit regionem calidam & siccam, ætatem florentem, & corporis naturam ac temperiem calidam, & siccam nigros proferre capillos: Regionem frigidam,& humidam naturam, rufos efficere; epheborum autem & puerorum,& eorum, qui temperatum locum incolunt, ac temperatorum corporum pilos modicè nigros esse. Cum itaque pilorum color à iam dictis coloribus,qui ætatum,regionum, & naturarum proprij sunt, deflectit,sciendum est,id vel ratione humorum in corpore dominantium,vel alterius causæ, quæ præter naturam sit, aut saltem non naturalis, vel ratione ætatis senilis de necessitate contingere. Si enim de humoribus in corpore redundantibus sermo fiat, vt inquit Rases, color capillorum semper fit ad modum coloris sanguinis. Si enim sanguis tenuis, aut aquosus sit, pilorum color flauus siue citrinus, aut albus euadit.

[Margin: Ras.25. cót.]

euadit. Si sanguis niger existat, calidusq́;, eorum color manifestè niger erit, & similiter variatur pro varia sanguinis dispositione, atq; cum alijs humorib. permistione. & idem de extrinsecus occurrentibus dicendum: nam ex mora in Sole nigri capilli fiunt. Ratione quoque ægritudinum innatum calorem labefactantium eorum color permutatur. Cutis igitur ipsius dispositio in brutis quidem pilorum colorem plurimum immutat, sed minus in homine, vt inquit Arist. quia homo præ cæteris pilosis animalibus cutem subtilissimam habet. Ratione demum ætatis senilis, vel consimilis dispositionis cani euadunt pili. Nam canities, seu pilorum dealbatio duplex est: Vna quidem naturalis, quæ in senectute ipsa contingit: Altera non naturalis, quæ pilos ante senectutem ipsam præoccupat. Vnde non paucos nouimus, qui quidem ante trigesimum annum canitie, & ea quidem perfecta, correpti sunt. De proprijs canitiei causis, quæcunque ea fuerit, sermonem habens Philosophus, scribebat albedinem in pilis ex defectu natiui caloris oriri, quemadmodum in senectute ipsa contingit: Ita, vt cuiuscunque canitiei causa perpetua (ea enim in omnibus vna, & eadem esse debet) ex ipsius sententia sit natiui caloris defectus. Nutrimentum enim, quod ad vnamquamque particulam pertingit, à propria caliditate concoquitur, digeriturque: Ea autem non potente illud concoquere, corrumpitur, & alimenti orbatio, ac languor subsequitur. Quibuscunque igitur, inquit ipse, parum est caloris, & ingrediens humiditas amplior est propria caliditate; tunc cum non possit illa humiditas ab ea digeri, corrumpitur à caliditate, quæ in continenti est aere. In pilorum enim radicibus tale existens nutrimentum non concoctum putrescit, & fit vocata canities. Adeo, vt affectio hæc ex natiui caloris inopia fiat, qui cum non possit humores concoquere, illi à naturali calore deserti, magis ab extraneo, & externo calore tentantur, & proinde putrescunt: ex putredine autem illa albi euadunt. Ratio autem cur ex putredine albescunt, ea est, quia, dum putrescit humor, magna pars in aerem conuertitur; aer verò terreæ, & aqueę substantię commistus facit colorem album, vti ex lib. de coloribus Arist. colligimus. Hac enim ratione (inquit Auerr.) butyrum album euadit, necnon camphora, atque etiam spuma. Causa itaque albedinis (dicebat Arist.) in prædicta putrefactione est: quia multum habet aerem: nam secum miscetur omnis terrestris vapor habens virtutem aeris crassi. Quod autem talis putrefactio, & albedo ex defectu innati caloris obueniat, Arist. ex ipsis languoribus & ægritudinibus id comprobat. In ægritudinibus siquidem longis totum corpus in defectu naturalis caloris existit: qua quidem de causa inconcoctio in carne canos efficit. Sed posteaquam curati validi fiunt, permutantur, & ex senibus iuuenes fiunt. Verè itaque quis dicet, languorem esse acquisitam senectutem, hanc verò languorem naturalem esse. Faciunt enim aliquando languores aliqui eadem, quæ senectus. Ex ijsdem igitur causis, inquit ille, inficiuntur in plerisque multi capilli tempore iuuentutis, & aliquando post, licet magnis ægritudinibus non obsideantur. Nam ex causis multis notis fit languor in cute, vnde etiam languor in pilis suboritur. Huic Philosophi sententiæ finitima videtur illa, quam nobis Galenus in lib. de temperamentis scriptam reliquit. Quibus enim, ait ipse, ad summam siccitatem cutis capitis non peruenit (ex qua quidem summa siccitate caluitium oriri dixerat) imbecilli his omnino, albique pili fiunt, quos canos vocant; imbecilli quidem conuenientis alimenti penuria: albi verò, quia alimentum, quo aluntur, veluti situs est pituitæ, quæ spatio computruit. Vbi enim meatus etiamnum manet, excrementum verò exiguum est & lentum, ac languendè à calore propellitur, non dissimiliter putredini afficitur. Vult itaque Galenus vt canities capillorum tum imbecillitatem tum albedinem supponat. & insuper videtur velle, quod causa canitiei, siue albedinis pilorum, sit putrefactio illius superfluitatis pituitosæ. Vnde, vt ait Auicennas, dum sanguis permanet pinguis, spissus, calidus, & viscosus, capilli sunt nigri; dum autem ad aquositatem tendere incipit, capilli ad canitiem declinant. Quod autem Aristoteles corruptionem seu putrefactionem vocauit, Galenus situm, quem nos mucorem vocamus, appellauit: Qui quidem vera & exquisita putrefactio non est. Ideo non rectè contra Galenum Argenterius elicit, quod si cani ex putredine fierent pili, eos perpetuus fœtor comitaretur. Concordant igitur Aristotelis, Galenique dicta in hoc, vt propter debilitatem caloris naturalis agentis in illas materias, albus color in superfluitate pituitosa, & situs ille in eadem materia generetur. Cum autem dealbetur materia, priusquam in pilos condensetur, necesse est, vt dum pili ex ea oriuntur, albi fiant. Ex quibus licet colligere, naturalem canitiem in frigido, & pituitoso

Arist. 5. de gener. anim.

De causis canitiei.

Aris. loc. cit. 5. de gener. anim. 4.

Arist. sententia.

Galen. 2. de Temp. c. 5.

Galeni opinio.

pituitoso temperamento, & in ijs, qui pituitosis, aut etiam nimis copiosis vescuntur cibis, properare: idque magis, si sedentariam, & otiosam vitam ducant. In calidis autem, ac biliosis naturis, & biliosa victus ratione vtentibus tardius euenire. Patet insuper ex dictis canitiem non naturalem etiam ex multa corporis, præsertimque capitis cutis humiditate oriri posse: quemadmodum nos sæpissimè in ijs, qui ante trigesimum quoque annum in omnibus fere capitis pilis cani facti sunt, obseruauimus, etiam si neque vitiligine, neque leuce (quas nonnulli immaturæ canitiei causas perpetuas perperam arbitrantur) neque alio cutis ipsius vitio laborauerint. Nam propter nimiam humiditatem cutanearum partium, & succorum, qui ad ipsas alendas deferuntur, innatus calor adeo obruitur, & hebetatur, vt facillimè deinde ij externo, extraneoque calore corripiantur, & corruptelam, siue putredinem, siue situm & mucorem contrahant, & importuna sequatur canities: Sed velocius adhuc, si vnà cum cutis humiditate adsit eiusdem cutis, vel etiam capitis frigiditas. Ex quibus liquet eos valde aberrasse, qui putarunt canitiem immaturam etiam ex ipsa siccitate fieri posse. Id enim experientiæ & rationi maximè aduersatur; & tum Aristotelis, tum Galeni sententiam omnino destruit. Nam Aristoteles quinto de generatione animalium, cap. 5. pluribus rationibus horum opinionem refellit: Et Galenus loco superius citato ait, canitiem in temporibus apparere propter loci humiditatem; in sincipite verò primum fieri caluitium ratione siccitatis. Insuper si canities à siccitate fieret, in hecticis valde protractis canities subsequeretur, & ipsum caluitium præcurreret: quod tamen falsum est. Dum verò Philosophus ait Canitiem fieri propter caloris, & alimenti consentanei penuriam, id nimis impropriè ab Auerroe ad siccitatem transfertur. Simili modo ad canitiem præter naturam gignendam possunt concurrere causæ etiam externæ, veluti sunt ingentes animi tristitiæ, atque mœrores, & maximi, repentinique timores. quorum vi calor innatus ad interiora retractus cutaneas, & extimas partes omnino deserit: & subinde earum humiditates inconcoctæ remanent, ac situm contrahunt. Cur autem canities à temporibus incipiat ex Galeni verbis iam docuimus. Quæ quidem ab Aristotelis sententia dissona non sunt. Is enim nullam aliam causam reddit, nisi quia in temporibus tanta, ac talis est humiditas, vt multitudine putrefactioni resistere non possit, quemadmodum fit in sincipite, neque tam pauca est, vt possit faciliter concoqui, veluti in occipite. Causa verò, quam tradit Auerroes, dum ait id accidere, quia ossa temporum sunt tenuia, cuius tenuitatis meritò calor externus facilè ingreditur, & facilè corruptionem molitur, omnino abijcienda est. Neque vllius momenti est comprobatio, quam affert, inquiens, temporum vulnera idcirco esse lethaliora, quia ossa illa tenuia sunt. Hoc enim falsum est: quia vt in sermone de capitis vulneribus docuimus, temporum vulnera periculosa sunt, propter læsionem musculi temporalis, qui quidem neruosissimus cum sit, deliria, vigilias, febres, ac præsertim vehementes dolores, ac conuulsiones vulneratus accersit. Insuper si ratio Auerrois vera esset, longè citius in sincipite canities oriretur, quàm in temporibus, cum sincipitis ossa, ijs, quæ temporibus subiacent, tenuiora, & imbecilliora sint. Ex dictis quoque patere facilè potest, cur mulieres magis ac citius, quàm viri canescant. Frigidi enim, & humidi sunt temperamenti, copiosis sæpius se alimentis explent, otiosæque sunt, & ideo pituitosis, ac crudis superfluitatibus magis scatent. Sicciores enim tardius canescunt. Neque minus apertum est cur in ijs, qui inferiorem mandibulam vberiori carne circundatam habent, & capitis, siue caluariæ cutem minus mollem, & minus crassam, barba primum canescit; in ijs, qui contrario modo sunt dispositi, capilli primum dealbescunt. Ex his autem, quæ diximus de causis canitiei occasionem nactus, illos, qui dicunt, canitiem senectutis fieri propter situm ex putredine oriundum; canitiem autem iuuentutis oriri propter vaporem pituitæ, libenter interrogarem, an pituita vel crudus humor in iuuentute, aut ipso senio magis abundet. Ab ijs verò, qui scripserunt canitiem nonnunquam in iuuentute propter nimiam seminis copiam apparere, quispiam sciscitabitur, an in semine, in quo calor innatus potissimum residet, eiusdem caloris adsit imbecillitas? Et rursus cum in testibus, & vasis prope ipsos semen primum incipiat dealbescere; in reliquis autem corporis partibus potius ad ruborem vergat, cur à seminis copia pili potius rubidi non fiant? Ad hæc cur omnes Medici pro retardanda canitie coitus abstinentiam præcipiant. Qui enim coitu frequentius vtuntur, vt experientia clarè docet,

Immaturæ canitiei causæ.

Galen. 2. de temperamẽ. cap. 5.

Arist. 10. probl. 44. docet, citius canitie corripiuntur. Cur autem homo solus inter animantia canescat, declarat Aristoteles, inquiens id contingere eò, quia pleraque animalia pilum habent fluxibilem, qui singulo anno fluit, & renascitur, vt bos, equus, & alia plura, & multa alia, quæ pilum fluxibilem non habent, vt ouis, capra, & alia id genus, sunt breuis vitæ: canities autem non fit, nisi post longum tempus. Vnde animalia hæc ante tempus canitiei à morte præueniuntur. Ob id scribebat idem, quod quæcunque non sunt senescentia, id est, longo tempore viuentia, non canescunt. Homo verò neque pilum fluxibilem sui natura obtinuit, neque *Arist. 5. de gener. anim.* breuem, sed longæuam vitam habuit. Quod si idem Philosophus alibi scriptum reliquit, equum canescere, id quidem rarò contingit, & quamuis possit dici ipsum respectu aliorum animantium canescere, tamen respectu hominis non propriè canescit. Iam verò naturalis canities, quæ ab ipsa senili prouenit ætate, haud *Signa.* ita difficulter ab ea, quæ non naturalis est, & alijs de causis procreatur, distingui potest. Quotiescunque enim passio hæc naturalis existit, ipsam ætas consistens, aut inclinans, aut vt plurimum primum senium comitatur. Ad hæc non quidem subitò, aut pauco temporis interuallo, sed paulatim fit, & incrementum suscipit: eaque ab ipsis temporibus exorditur, &, vt ait Aristoteles, primò à pilorum extremitate incipit: quia, vt idem ait, & Auerroes id confirmat, pilorum extremitates imbecilliores sunt, ac primæ magis siccescunt: Prope radices verò ob cutis vicinitatem viget robur. Ex aduerso canities morbosa aut subito, aut paucis diebus fit, aut etiam paulatim, sed in ætate iuuenili, & totum caput occupat, vel partem circumscriptam à temporibus diuersam, vt etiam in vitiligine fieri solet. Ad hæc, dum in iuuenili ætate oritur, solent adesse signa capitis humidioris, aut etiam frigidi: Vnde ij capitis cutem crassam ac pinguem habent, somnolenti sæpius sunt, à frigida destillatione vexantur, cum alijs signis humidæ, ac frigidæ totius capitis, aut etiam cutis temperaturæ. Insuper naturalis canities, quamuis re- *Prognostica.* tardari possit, attamen, dum facta est, sanari verè non potest. Innaturalis autem verè sanari potest. Ablatis enim ægritudinibus innatum calorem labefactantibus, corpus iterum resarciri potest, & subinde pili rursus pristinum colorem induunt. Dum enim conuenienti, & concocto alimento iterum irrigantur, ad naturalem nigredinem, seu alium colorem redeunt. Quidam tamen inquiunt, quod ijdem numero pili dealbati ad pristinam nigredinem non reuertuntur: quia tales omnes propter alimenti, siue fuliginis imbecillitatem, & pororum angustiam valde subtiles, ac tenuissimi euasere. Poris autem latioribus factis, decidunt, & congruo nutrimento superueniente, alij, qui eorum loco renascuntur, nigri, aut naturaliter colorati exeunt. Sicuti autem canities naturalis innati caloris penuriam, ac senectutē ipsam ostendit; ita morbosa canities eiusdem natiui caloris defectum arguit.

De Canitiei curatione, & Capillorum tincturis. Cap. XII.



VT autem & naturalis canities, quantum fieri potest, re- *Indicationes.* moretur; & ea, quæ præter naturam est, corrigatur, clarissimum est ex dictis, nos debere potissimum tum calfacientibus, tum exsiccantibus præsidijs vti, vt scilicet & natiui caloris, qui in cute, & pilorum alimento est, inopiæ succurramus, & pituitosæ ac crudæ superfluitatis frigiditatem, & humiditatem corrigamus, & à situ siue putredine arceamus. Sed si vnà cum capitis humiditate caliditas potius iuncta sit, sufficiet illud exsiccare. Et si capitis intemperies à materia foueatur, illa blandè tum euacuantibus, tum reuellentibus, ac deriuantibus, discutientibusque præsidijs erit tollenda, de quibus in sermone de capitis dolore dictum est. Dixi autem hæc blandè esse administranda; quia validiora, & affatim inanientia natiuum etiam calorem non parum exhauriunt. Simili modo in calfacientibus, siccantibusque congruam mensuram adhibere oportet, ne scilicet cutis nimium siccetur, & subinde innatus calor exhauriatur, & pilorum alimentum absumatur, & loco canitiei caluitium subsequatur. Quod autem in ijs remedijs adhibendis semper ad capitis dispositionem, & temperaturam respiciendum sit, apertissimum est. Cum verò medicamenta possint vel intus, vel extra administrari; de intus sumptis non sunt verba facienda, cum ex alibi

dictis

dictis pateant. Nam Auicennas probat magnas confectiones, necnon anacardinam vocatam, & his similia. Sed circa Topica, & extrinsecus applicita illud notat idem Auicennas, vt ea eligantur, quæ præter id, quod calfaciunt, & siccant, tenuium sunt partium, vt cutis crassitiem facilius permeent, & crudas superfluitates melius discutiant. De quibus omnibus tum in tractatu de capitis dolore, tum plerisque alijs in locis pertractauimus. De capillorum autem tincturis sermonem habens Galenus, scribebat sibi visum esse in principio eas relinquere, cum omnia talia manifestè comptorij generis existant. Comptoriæ siquidem scopus est, vt pulchritudinem acquisititiam inducat; Exornatoriæ verò Medicinæ partis, vt quicquid secundum naturam est, id omne in corpore custodiat, ad quod consequitur etiam naturalis pulchritudo. Indecoro enim aspectu est caput alopecia vitiatum, velut etiam oculi pilis palpebrarum denudati. Quid autem attinet dicere de lichenis, aut psora, aut lepra, cum præter naturam talia existant? At verò faciei colorem per pharmaca nitidiorem, aut rubicundiorem facere, aut pilos capitis crispos, aut fuluos, aut nigros, aut, quemadmodum mulieres solent, in longitudinem auctos, hæc ipsa, & quæ huiusmodi sunt, comptorij maleficij existunt, non Medicæ artis opera. Verum propter societatem quandam quam cum illis habent, quandoque ad Regiarum fœminarum, atque adeo ipsorum Regum imperium, etiam comptoria adiungimus: vtpote cum his negare non liceat, docendo tamen comptoriam ab exornatoria Medicinæ parte differre. Nescio autem, quando dogma commune inoleuerit, vt vetulæ fœminæ capitis capillos denigrent, tanquam turpe sit canos habere: atque hoc ipsum etiam masculis est visum, qui turpe spectaculum esse aiunt, aniculam vxorem cano capite habere. Quæcunque quidem præ delicijs seipsas ornant, harum nulli tale quippiam à me petenti exhibui. Quæcunque verò magis venerandæ, cum notam effugerent, tum maritorum suorum importunitatem vitarent, pilos suos nigros reddere cupierunt; ne tamen ex adstrictoria vi nigrorem inducentium oblæderentur, illis consului cedriæ vsum, ita, vt tribus aut quatuor horis ante balneum illinirent, & postea detergerent, idque per quatuor, aut quinque dies facere pergerent. Ad hoc enim, quod nihil lædit, amplius etiam est commoda eis, quæ facilè à frigore offenduntur. Nimirum pharmacum existens cedria, quod abundè calefactet. Oportet autem ipsam citra olei admistionem adhibere capitibus vehementi reficcatione & calfactione indigentibus, quibus scilicet humida & frigida intemperies per se inest. Alijs verò oleo mistum adhibere pharmacum oportet. Quin & defluentes capillos corrigit, & non defluentes auctiores reddit. Cæterum odorem eius vitent delicatæ mulierculæ, qui sanè non iniucundus est ijs, quæ sustinent ad consuetudinem vsus peruenire. Porrò in Asia agrestes mulierculæ montana incolentes non cedria solum illinuntur, oleo permista, verum tum corpus vniuersum, tum caput inungunt. Quin etiam picem liquidam cum oleo eodem modo permistam ad radices capillorum capitis illinunt, vocantque hoc compositum pharmacum Pisselæon, hoc est, oleum picatum, quod omnino aliud est ab eo, quod pisanthos, hoc est, flos picis appellatur, quod ipsum liquidæ pici incumbit, & superstat, tenuium magis partium, quàm ipsa pix existens tum compage, tum etiam facultate. Hæc itaque pharmaca tardè canescere faciunt, nulla vtentium læsione. At verò, quæ ex austeris, & acerbis composita sunt, magnopere lædunt. Cæterum materiam, ex qua confiunt hæc, adstringentis qualitatis, ac facultatis existentem, etiam quippiam tenuium partium habere oportet, quo non in superficie tantum, sed & in profundo cutem permutent, vsque ad locum radicum capillorum progrediendo. Atque hæc quidem est methodus componendi ea. Vtile autem hoc est & ad cognitionem affectionum, quas iam incurrerunt aliquæ mulieres, & ad futurarum prænotionem, præsentiumque sanationem. Non solum enim in periculo versatas sæpe scio fœminas, sed & mortuas ex perfrigeratione capitis per huiusmodi pharmaca inducta. Læsio autem eis maximè accidit, aliquando quidem in stuporem attonitum, aut comitialem, aut veternum, aut soporem profundiorem, aut animi apprehensionem, catalepsin Græcis appellatam, delabentibus: aliquando verò destillationibus solutu difficilibus capiuntur, vt antequam soluantur, pulmones malè habere incipiant, exindeq; tabes consequatur. Offenduntur autem citius, quę frigidius temperamentum capitis habent; tardius verò, quæ calidius. Frigidæ enim particulæ frigidis affectionibus; calidæ calidis facilius corripiuntur. Atqui periculum minus subeunt, vtpote cum à minori causa lædantur, quæ frigidius temperamentum habent. In morbis enim, ait

Comptoria ab Exornatoria Medicinæ parte quomodo differat.

Galen. 1. a. loc.med.c.3. & 2.

Curatio.

Cedriæ vsus.

Notãdum.

2. aph. ait Hippocr. minus periculum subeunt ægrotantes, quibus congruus naturæ, ætati, habitui, ac tempori adfuerit morbus, quam quibus nihil secundum hæc ipsa congruerit. His animaduersis Gal. de ijs, quæ tradidit Archigenes ad denigrandos capillos verba faciens hæc habet. *en. 1. de med. 3.* Denigrant capillos hæc: Folia, aut radicem capparis tritam cum muliebri lacte, aut, vt alijs placet, asinino ad tertias coquito, & ad noctem pro cataplasmate imponito. Aut vrina canis in quinque aut sex dies adseruata lauato. Aut corticem radicis ilicis, donec mollis fiat, coquito, eumque cataplasmatis modo imponito; cum aqua verò decocti lauato. Aut quod in phernio intrinsecus nigrum est, cum oleo myrteo tritum affricato. Aut spumam argēti, cimoliam, alumen liquidum pari mensura, prælotis, & siccatis capillis, in noctem illinito, & betæ folijs supernè obligato. Aut Selinusiam terram, argenti spumam, calcem, cum aqua ad mellis crassitudinem redige, & vbi liquido lixiuio prolaueris, capillum vicissim inunge, similiterq; betę folijs impositis obligato. Manè verò excussos capillos applanato. Aut absynthij, ossium palmarum Syriacarum, fabarum Aegyptiarum, omnium vstorum cinerem pari mensura cum vino Mendesio ad strigmenti crassitudinem redigito, & cerato myrteo liquido admisto affricato. Aut corticis salicis succum cum oleo affricato, summeq; denigrat. Aut nodos ad racemorum similitudinem ex arbore nuce enatos ex oleo coquito, & bitumine liquido admisto vtitor. Denigrant autem barbam Suber aridum, & plumbum vstum cum betæ crudo succo mellis spissitudine illita: finitoq; vsque ad prādium: deinde abluito. Aut ferri retrimentum, ac plumbum in aceto cocta ad tertias; illine citra oleum. Auicen. ad eosdem capillos denigrandos, & ipsorum nigredinem conseruandam: Recipiebat myrobalanorum Indorum, & Emblicorum, & gallarum partes x. laudani partes xx. contrita ponantur per duos dies in tribus libris boni olei: deinde coquantur, donec crassescant, & fricentur cum eo capilli: Aut Recip. folia nucis, & corticem radicis eius, & parietariam, & in aqua coque; deinde adde, puluerem aluminis, & alcannæ, id est, cipri arboris, vel gallæ, & aluminis roccheæ, vitrioli, salis nitri, & cum hac aqua loca ablue, quæ denigrare cupis. Alij accipiunt nuces virides mense Iunij, easque contundunt, & permiscent cum semi libra aluminis scissi, & ponunt in olla noua, & superinfundunt lib. iij. olei, & dimittunt in loco non humido, neque multum sicco per dies viginti: & postea cum illo oleo caput inungunt. Idem autem Auicennas ad refrigerantium & adstringentium nocumentum tollendum & arcendum, & meliorem odorem medicamento conciliandum comprobat cariophyllorum permistionem. Vnde quando ponitur, inquit ipse, in tinctura drach. j. cariophyllorum, valde denigrat, & cerebrum à tincturę nocumento præseruat. Quocirca Rases scribebat, quod si aqua cariophyllorum distemperetur alcanna, & fiat ex eis illinitio, fient capilli nigri boni coloris. Et si illinitio fiet ex ea super capillos decies, fient valde vehementer nigri. Tinctura autem communis, Recip. vini albi lib. iij. alcannæ, & cineris ligni cerri ana libr. semis, rob nucum lib. j. misceantur, & bulliant suauiter: postea, ad habendum colorem, quem volueris, dum fit ebullitio, ponatur aliquid huius pharmaci cum penna super pagina alba: nam prima ebullitio flauum colorem efficit; secunda rubeum; & quæ magis progreditur, nigrum. Nonnulli probant folia rubi, & præsertim cinosbati, si in lixiuio coquantur, & inde caput abluatur. Folia quoque cypressi in aceto decocta denigrant: & flos puluerizatus, & cum oleo mistus capillos denigrat, multiplicat, atque prolongat. Nigros etiam reddit oleum myrthinū in mortario plumbeo diutius agitatum, & in eo asseruatum, ac sæpe inunctum. Laudatur autem a plerisque lotio facta ex myrobalanis nigris, & ex felle taurino, & myrto. Sciendum autem pharmaca hæc non proficere, nisi longo vsu adhibeantur. Ob id non est, quod quis animum despondeat, si prima, vel tertia die pharmacum non respondeat. Medicamentum autem infrascriptum semper intra mensem, & sæpe paucioribus diebus capillos omnes albos denigrauit. Recip. myrobal. nigrorum vnc. j. passular. nigrarum vnc. ij. vini nigri adstringentis lib. iij. bulliant in duplici vase lento igne ad consumptionem duarum tertiarum; deinde adde succi corticum nucum viridium lib. ſ. sumach, acaciæ ana vnciam j. chariophyllorum solidorum vnciam j. s. musci scropulum j. ponantur iterum ad ignem, & sine ebullitione detineantur per medium diem. Hoc itaque citra capitis periculum, atque iacturam denigrat. Illini autem debent capilli albi penicillo hoc vnguento illito, idq; nocte, dum eunt cubitū: deinde caput panno nigro contegendum, & tota nocte ita detinendum: Mane verò abluatur caput vino nigro adstringente, in quo myrobalani nigri fuerint incocti. In pro-

Medicamenta Archigenis ad capillos denigrandos.

Auicennæ medicamina.

In proximè autem tradito vnguento cariophylli positi sunt ad cęterorũ nocumentum inhibendum. Inquit enim Auic. quod quando ponuntur in tinctura cariophylli ad drach.j. denigrant satis strenuè, & prohibent, ne tinctura cerebro noceat. Postremo animaduertendum est ad inducendam stabilem tincturam, optimum esse, vt prius capilli abluantur cum aliquo lixiuio stiprico, quod sit in causa, vt ipsi tincturam retineant, quemadmodum etiam in pannis, & alijs tingendis rebus obseruari videmus: Vnde pili tingendi prius cum lixiuio optimè abluantur, & cum aqua, in qua alumen rochæ puluerizatum sit infusum ad quantitatem semilibræ, & cinis communis ad vnc.ij. ita vt hæc in aqua infundantur, quæ postea per pannum colentur: & ita cum ea pili lauentur, & priusquam perfectè siccentur, tingendi erunt. Quidam autem inquiunt, quod pili madefacti cum aqua mista cum alumine rochę, & exiccati melius colorem suscipiunt. Hæc autem præparatio maxime necessaria est, cum uolumus pilos nigro colore inficere, aut alio intensiori colore ad nigrum vergente. Dum autem volumus nigredinem remittere, aut alio colore ad albedinem declinante pilos inficere, suprascripta præparatio superflua est, & debet tunc ablutio fieri cum aqua dulci simplici omni stipticitate carēte. Vt autem albi capilli euadant, optimè abluantur cum aqua calida, cum lixiuio dulci, & sapone, & cũ fuerint mediocriter exiccati, suffumigentur cum sulphure, & hoc unguento inungantur: Rec. stercoris hirundinis, henulæ siccæ, sulphuris, florum capparis siccorũ, seminis ebuli sicci ana quantum vis, terantur perfectè, & cum felle vaccino, & pauco aceto in modum vnguenti incorporentur: Multisque vicibus & lotio, & suffumigium, & inunctio iteranda est, donec nigredo minuatur, & postea inungantur sæpe cum oleo liliorum, vel sambucino. Scribit autem Rases, quod fex aceti capillos nigros, flauos, seu, vt uocant, blundos facit. Et idem efficit fex vini. Alij tradunt, quod si capilli nigri cum stercore hirundinum illinantur, & sic per noctem dimittantur, mane existent albi. Alij inquiunt pulegium in lixiuio bullitum, si eo caput abluatur, pulcherrimè dealbare. Si quis autem flauos, splendidosque capillos reddere cupit, is cum melle vini fęcem decoquere debet, usque ad spissitudinem, & colare, & ijs capillos inungere. Similiter si quis frequenter caput abluat cum aqua, in qua flores genistæ exiccati, aut flores uerbasci sint incocti, aurei, ac flaui fient capilli. Conuenit quoque lixiuium, in quo sint infusi flores stœchadis citrini, & genistę, & rasura brusci, & cortex citri, aut radix gentianæ, vel radix berberis, & flos carthami, quod Cnicum Dioscor. vocat. Vel Rec. aluminis rochæ lib.j. aluminis scariolæ vnc.j. aluminis fœcum vnc.ij. tragacanthi, gummi Arabici, amyli, saponis albi ana vnc.ij. terantur, & bulliant in lib.x. aquæ recentis, & claræ, donec remaneant partes duæ, postea cola, & ex ea capilli madefiant, abluanturque, & sub sole pectinentur. Quidam, vt capilli splendorem suscipiant, eos cum puluere cerri fricare consueuerunt. Porro Galenus ex Archigenis decretis inquit, quod lupini crudi cum aqua & nitro misti & illiti flauos quoque faciant capillos. Chamæmelum etiam detentum in lixiuio pulcro colore decorat. Aiunt alij, quod si inungantur capita puerornm, vel puellarum cum oleo misto cum cinere corticũ auellanarum, & nitro, pulcros proferunt capillos. Si autem capillos ad rubedinem declinare studeas, ij prius sunt præparandi cum lixiuio facto ex cinere caulium brassicæ, in quo alumen sit dissolutum, & fiat prima ablutio multis diebus: quia capillos ad omnem tincturam recipiendam præparat: Deinde Rec. farinæ lupinorum drach.x. myrrhæ drach.v. aluminis rocchæ, & aluminis fœcum ana drach.iij. terantur, & incorporentur cum lixiuio facto cum cinere sarmentorum vitis, donec fiat ex eis forma vnguenti, quo inungantur omnes capilli, & illinantur, postquam fuerint abluti cum dicto lixiuio, & fuerint mediocriter exiccati, inungantur cum linimento facto ex puluere rubiæ tinctorum cum lixiuio ex cinere sarmentorum parato. Alij abluunt sæpius caput aqua, in qua semina lappæ maioris diutius fuerint incocta; & illinunt cum aceto vel aqua, in qua alcanna distemperata fuerit. Vt autem pulchrè colorati euadant, sæpius ac diutius capilli pectinentur sub radijs solaribus cum pectine in lixiuio madefacto. Victus autem ratio ad senum canitiem remorandam, & iuuenum aut virorum corrigendam, congrua illa est, ex Auicenna, quæ ex cibis optimi succi constat, sed aromatis, ac calfacientibus, & siccantibus, attenuantibus scilicet, atque digerentibus, alteratis. Quod autem frigida & humida, crassa & viscida concoctuque difficilia alimenta sint fugienda, ex dictis de causis cuiuscunque canitiei, quibus semper obsistere debemus, vnicuique patere potest.

Margin notes: Vt capilli albi fiant. — *Ras. 25. contin.* — Vt flaui, ac splēdidi euadant. — *Gal. 1. de compo. med. loc.* — Quæ rubidos capillos faciant.

De Reliquis capillorum vitijs, & proinde de auxilijs, atque pharmacis, capillorum planitiem, crispitudinem, nimiam tenuitatem, aut crassitiem, vel breuitatem, ac incommodum ipsorum ortum corrigere valent. Cap. XIII.



VIBVS de causis capilli crispi fiant, superius in tractatu de ipsorum natura declarauimus, dictum est enim crispos euadere, aut propter siccitatem temperamenti, aut propter meatuum, in quibus radicantur, naturam, & obliquitatem. Planorum autem capillorum contrariæ sunt causa. Subtilitatis verò pilorum causa est vaporis tenuitas, & pori ipsius angustia seu strictura. Quemadmodum crassitiei eorundem causa est vaporis crassitudo, & pori latitudo. Causa verò breuitatis capillorum est siccitas cutis, & vaporum paucitas; sicuti eorum longitudinis est cutis moderata humiditas, qua pori non clauduntur, & vaporum multitudo. Cur autem pili oriantur, ac eorum ortus nimium multiplicetur, ex eodem sermone de ipsorum natura clarissimum est. De crispantibus itaq; capillos Archigenes, ita referente Galeno, dicit: Crispos autem reddes capillos, si spuma salis cum myrrha confricaueris. Aut succo carpasi illine & manebunt crispi ac nigri. Aut myrti baccis, ac betæ semine æquali pondere cum oleo tritis vtitor. Aut asphodeli radicem cum mero illine. Aut lupinorum cortices, ac parum nitri in aqua ad quatriduum macerato, ac utitor. Vt autem Rasis testatur, oleum fœnugræci, nec non etiam semen hyoscyami crispos capillos reddit. Idem efficit ablutio eorum cum decoctione foliorum oliuarum. Et idem ait lupinos, si terantur in aqua, &]cum ea lauentur, & illinantur capilli, eos crispos efficere. Adhæc, si capilli sæpe inungantur cum oleo mixto cum puluere cornu arietis combusto, crispi fient. Oportet autem cum iam dictis pharmacis capillos non quidem leuiter fricare, sed ita fortiter, vt caput in fricatione commoueatur. Spuma quoque salis amari illita vehementer capillos crispat. Sciendum tamen, quod capilli plani non nisi magno studio, ac labore crispantur. Capilli autem crispi plani redduntur humectantibus, & eorum continuitatem conseruantibus, & subinde administratione oleorum mollificantium, & mucilaginum maluæ, altheæ, & similium, quæ humectandi vim obtinent, & eorum omnium, quę ipsorum scissiones, ac erosiones arcere valent, de quibus postea in eorum breuitate corrigenda dicemus. Dum autem nimis tenues sunt capilli, crassi redduntur, si fricentur cum alcyonio (quod officinæ spumam maris appellant) & cinere cum veteri oleo mistis singula quaque nocte: Quemadmodum è conuerso attenuantur, subtilesque redduntur, si caput abluatur cum aqua calida, cum farina orobi, & puluere nitri permista. Nam prima lotio eos subtiliat, lenes, & molles efficit. Pariter nitrum, vt Auicen. scribit, si in medicinis capillorum imponatur, eos subtiles reddit, Verum quoniam nonnulli admodum multos & longos, durosq; habent pilos, & honestum esse videtur, ipsos pauciores, & tenuiores, mollioresq; ac rariores facere, ideo Gal. plura pharmaca, quæ attenuant pilos, in medium affert. Quæ quidem ait exterforiam facultatem habere, & secundum excessum, & defectum inuicem differre. Hordei itaq; farina & fabarum, & erui, & spuma nitri, & ipsum nitrum, si quis assidue ipsis utatur, pilos attenuant. Quæcunque uero fortiore ui extersoria prædita sunt, in his, qui valde duros, & magnos pilos habent, assumpta congruunt. Eius generis est nitrum vstum, & nitri spuma, & aphronitrum spumosum. In assiduo autem vsu faciunt item purpurea appellata vasa fictilia Alexandrotica, contusa scilicet & tenui cribro excreata. Pauperibus uero fictilium, & clibanorum, in quibus aliquid subtextu coquitur, testas, itemque pumicem vstum, ac non vstum, necnon testas vstas tum buccinorum, tum purpurarum aliorumq; ostreorum indicabat. Sæpiæ verò testam etiam citra vstionem. Alijs verò alcyonium, & herbam lanariam, vtrumque veratrum, bryoniæ item, & dracunculi radicē, aristolochias, canchry, & panacis radicē, & consimilia adhibebat. Vt autem odorata euaderent, cyperum, & melilotum rosasq; siccas, & iunci odorati flores, iridem Illyricam, melissophyllumq; & cydoniā herbā, & pro diuitib. spicam

Causæ. Curatio. Medicamēta quæ crispos capillos reddūt. Quæ capillos planos reddant. Incrassantia capillos. Eosdem attenuantia. Quæ capillos longos efficiunt.

Galen. 1. de comp. loc. 3. Ras. 25. cōt. Galen. 1. de comp. med. loc. c. 5.

ſpicam nardi, crocum, & hedicroum ipſis admiſcebat. Quantum ſpectat ad capillorum breuitatem corrigendam, cum hæc duplici modo fiat, vna quidem, quę vera atque legitima breuitas dicenda eſt, & vel ex cutis ſiccitate, vel fuliginoſorum excrementorum, ſeu vaporum paucitate prouenit; altera autem minus propriè dicta, quæ quidem oritur, dum capilli propter nimiam ſiccitatem corroduntur, aut ſcinduntur; idcirco ſi de curatione prioris, quæ vera, & legitima breuitas eſt, ſermo fiat, ſi breues capilli euadant propter cutis ſiccitatem, longi fient, ſi caput abluatur cum lixiuio, in quo herba fœnigræci fuerit incocta, & poſtea in eo dimiſſa, & poſt lotionem cum capillis fuerint mediocriter exiccati, pectinentur pectine inuncto cum oleo communi. Vel radicem althææ cum ſanguine ſuillo diu bullire fac in vino, & poſtea appone maſtichem & cuminum, & vitellos ouorum bene coctos, & omnia ſimul optimè permiſce; poſtea per pannum cola, & permitte refrigerari, & deinde collige pinguedinem ſupernatantem, & caput prius lotum ea inunge. Quidam autem ex recentioribus tradit, quod ſi ex radice nympheæ fiant rotulæ, & diutius in lixiuio dimittantur, & eo ablutio fiat, optimè prolongabuntur, & clarificabuntur. Si verò breues reddantur propter fuliginoſi vaporis penuriam, vel quia idem vapor ab humidis excrementis claudatur, ac prodire prohibeatur, caput abluendum erit lixiuio ex cinere ſarmentorum vitis parato, & ex aqua decoctionis extremitatum fagi, & vlmi, lentiſci, capillorum Veneris, ſcolopendriæ, paleæ hordei, radicum cyperi, & lupinorum, ſi æqua portione ſumantur, & poſtea capilli cum ſemine ſtaphiſagriæ fricentur. Vel Rec. anguillam pinguem, & coque, donec diſſoluatur, & in illa decoctione ponatur axungia gallinæ, vel anſeris, & mel, & coquatur in modum vnguenti, quo capilli inungantur. Raſes autem tradit prolongare capillos, eoſque conſeruare illinitionem factam ex oleo myrtino, & violato ſimul miſtis cum parte vna capillorum Veneris, & partibus duabus laudani puriſſimi. Pariter ſola lotio capitis cum decoctione capillorum Veneris capillos venuſtat, multiplicat, atque prolongat. Alij inquiunt, quòd ſi caput lauetur ex aqua, in qua decoctæ fuerint glandes arboris fagi vſque ad tertiam partem, prolongabuntur inde capilli, & formoſi fient. Ad idem valet inunctio facta cum oleo, cui mixtus ſit puluis capitum quarumcũque auium combuſtorum. Si verò breues fiant, quia erodantur, aut ſcindantur (quod propter ipſorum accidit ſiccitatem: quæ quidem cerebri, & interdum totius quoque corporis ſiccitatem arguit, & ob id humidis, & pituitoſis temperaturis rarò accidit) præter victus rationem humectantem, quæ conuenientiſſima eſt, probantur lotiones ex aqua, aut lixiuio dulci decoctionis altheæ, maluæ, violarum, & conſimilium paratæ: necnon illinitiones cum oleo de ſeminibus lini, vel amygdal. aut oliuarum dulcium. Et dum volumus aliquod iſtorum admouere, debemus addere tantam laudani portionem, quanta ſatis ſit, vt in eo bulliendo diſſolui poſſit. Auicen. & ipſe probat olea leuia, & æqualia, & mucilagines viſcoſas altheæ, foliorum ſalicis & omnium humectandi vim habentium. Vt autem alij tradunt, ſciſſuras, & corroſiones capillorum tollunt mucilago pſyllij, aut aqua in qua ordeum infuſum per noctem permanſerit, præſertim ſi ſero capilli inungantur oleo violaceo, aut roſaceo, vel alio conſimili, ac probè pectinentur, adhoc, vt omnes eo illinantur. & poſtea caput coopertum tota nocte dimittatur. Ablutio quoque capillorum, & ipſorum irroratio cum aqua, in qua lupini bullierint, capillos fortes efficit, ſciſſuraſque remouet. Alij imperant, vt teratur galla cum axungia veteri, & ex ea capilli ſtrenuè fricentur; quia eos fortes reddit, prolongat, & ſciſſuras tollit. Debent autem patientes vitare potum vini fortis ac puri, necnon ablutiones cum lixiuio calido: quia capillos corrodit. Medicamenta demum, quibus aduerſus noxium & inuiſum, ac importunum pilorum ortum pugnamus, duplicia ſunt. Nam eorum quædam pilos naſci prohibent; quædam iam exortos auferunt, & euellunt. Ex eorum autem numero, quæ pilos prohibent, apud Galenum eſt chalcanthum, necnon cicutæ ſemen. Dum enim de veſpertilionis ſanguine verba facit, eſt autem, inquit, falſum, quod enaſci ſub alis pilos prohibeat: id quod rectè Xenocrates tanquam mendacium calumniatus eſt. Verum ipſe cenſeat poſt illius vſum aũt chalcanthum inſpergendum, aut cicutæ ſemen. Aitque vbi hoc factum fuerit, aut prorſus pilos non prodituros, aut certè lanuginoſos: ceu leue atq; exile medicamentum adderet cicutæ ſemen, ac non per ſe ſe ſufficiat ſtrenuè refrigerare partes, quib. fuerit impoſitum. Alij verò & puerorum pudendis ſanguinem veſpertilionis illinant, credentes ita diutiſſimè eas partes à pube ſeruari poſſe immunes.

[Margin notes: Raſ. 25. cōt. — Quæ capillorum ſciſſuras, & corroſiones tollunt. — Quæ pilos naſci prohibent. — Gal. 10. ſimpl.]

res. Atqui non oportebat putare diutissimè, sed perpetuo fore tales: velut existimant & alas. Ergo ex refrigeratione partis vehementi eiusmodi quippiam posse contingere non est à ratione alienum, non tamen adeo frigidæ facultatis est vespertilionis sanguis. Hæc ille. Ex eiusdem quoque sententia Hyacinthi radix quæ bulbosa est, cum sit ordinis primi in desiccando, secundi uerò completi, aut certè tertij incipientis in refrigerando, ob id pueros diutissimè seruare impuberes vino illita creditur. Conferunt itaque frigida ac stiptica, & interdum quoque cum narcoticis adhibita. Vnde Auicenna & Rases aiunt ad hoc conferre hyoscyamum, opium, & psyllium in aceto cocta. Sumitur etiam ab ijs Chimolea, & cerussa secundum partes æquales, & ex albumine pars semis, & coquuntur cum aqua hyoscyami albi. Confert quinetiam fricatio loci cum limatura ferri cocta fortiter in aceto, aut cum rubigine ferri cum saliua superfricata. Probatur itidem inunctio, cum succo cichorei ad retardandum pilorum ortum in pectine, aut alis. Alij probant emplastrum ex rubi folijs vel cinosbati sæpe superpositum. Galenus autem scribebat, quod puerorum pubes farina fabacea illita plurimo tempore glabra permanet. De ijs verò, quæ pilos iam euulsos renasci prohibent, verba faciens Galen. scribebat salsas tellinas vstas adeo vrentem efficere cinerem, vt is cum cedria euulsos radicitus ex palpebris pilos, instillatus in locum renasci prohibeat. Verum si quis quærat, ut euulsi pili non amplius renascantur, loca ipsa depilata cum claudentibus poros, & cum stupefacientibus, & stipticis inungere debet. Vnde ex Auicenna prohibent renasci pilos stupefacientia infrigidantia, ita, ut post depilationem optimum sit, loca illinire cum hyoscyamo albo, opio, & aceto. Quidam autem tradunt corpus ranæ lacunalis exiccatum optimè prodesse, si teratur, & misceatur cum mucilagine psyllij, aut cum succo hyoscyami albi, aut aceto, & illinatur. Alij probant sanguinem testudinis lacustris, & lac caninum. Galenus ad prohibendum ne pili renascantur probat medicamina parata ex lepore marino, & ranis, quæ in stagnis viridibus nascuntur, cum sanguine testudinis marinæ, & vespertilionis, & ouis formicarum, & gummi vitis albæ, & vrticis. Alij inquiunt, quod puluis ostracorum, aut cinis stipitum caulis cum aceto emplastratus pilos euulsos renasci non sinit. Conuenit etiam oleum lacertarum domos inhabitantium, si sæpius inungatur. Vel Recipe x, vel xv hirudines, & eas in mortario optimè tere, & desuper pone acetum forte, & bene tere omnia simul, & per pennam exprime, donec tota earum substantia exeat, & postea locum sæpius inunge, quia nunquam pili renascentur. Vel Recipe ouorum formicarum partem j. sanguinis testudinis, & ranæ aquaticæ, & vespertilionis, & ericij ana part. semis, conficiantur simul, & ex eis locus inungatur. Traditur etiam à nonnullis, quod adeps viperinus sæpius inunctus pilos euulsos, aut abrasos diutius excrescere prohibet. Iam uerò ad ipsas depilandas partes Galen. diuersa describit medicamenta, quibus, vt ipse inquit, nonnunquam uti cogimur nedum alijs de causis, verum etiam, quia interdum totum corpus picatione opus habet, & aliquando pharmacum, quod meatus obducat, emplastum uocant; imponere volumus, & multi nouaculæ vsum pertimescunt. Ipse igitur inter cetera filiculam proponit. Cum enim, inquit, facultatem habeat septicam, proinde etiam pilis glabram cutem efficit. Similiter ex eiusdem sententia tithymali succus inunctus pilos tollit; quippe ex quarto est excalfacientium ordine, & subinde adurentem facultatem habet: cumque vehementior sit, oleo miscetur: & si id identidem ac sæpe fiat, tandem prorsum pilorum radices adustæ corrumpentur, corpusque depile reddetur. Auripigmentum quoque, tam combustum, quam vstionis expers, vrentis est facultatis: Ceterum id constat vstione reddi tenuiorum partium. Vnde vtuntur eo, ait idem Galenus, ceu adurente, ad denudandam pilis partem quamuis. Verum si diutius inhœreat, nec cuti etiam ipsi parcet. Apud nostrates autem pro pilorum, qui orti iam sunt, ablatione, tria potissimum sunt in vsu: nempe cerata, psilothra, quæ eos corrodunt, & eorum radices, nec non medicamenta, quæ à proprietate eos cadere faciunt. Cerata, quæ dum admouentur, eos euellunt, dum violenter remouentur, fiunt ex pice simplici, aut nauali præsertim. Vel ℞ Mastichem, & pone in vase terreo super ignem, & cũ liquescit, adde colophoniam & deinde ammoniacum, & fac bullire, donec inspissetur: postea proijce super aquam frigidam, & deinde manibus subige, & malaxa, & eo vtere. Est enim optimum depilans non solum faciei pilos, verum etiam omnium locorum. Vel ℞

ceram

Marginalia: Gal. 8. simp. — Auic. 4. 1. doc. 7. Ras. 25. cont. — Gal. 7. simp. — Galen. 11. simp. — Gal. 1 local. med. — Gal. 6. simp. — Quæ pilos auferunt, & euellũt. — Gal. 8. simp. — Gal. 9. simp. — Cerata.

ceram cum puluere colophoniæ, & commisce, & radices pilorum perfricando il line. Pilos enim cito cadere facit. Inquiunt autem nonnulli lupinorum farinam pilosis locis appositam eorum euulsionem facilem reddere, & prohibere, ne alij subnascantur. Inter psilothra verò (præter illa, quæ ab ipso Galeno ex Critonis monumentis tradita sunt, & ab unoquoque videri possunt) hoc pilos cadere facit citra dolorem: Recip. puluerem sulphuris albi, & calcis viuæ, & cum stufam, siue bal neum ingressus fueris, & optimè calfactus eris, tolle puluerem ipsum, & calfac sub planta pedis, & postea pone illum, ubi vis, & permitte aliquantulum permanere, & pili leuissimè egredientur. Aliud leue Recip. calcem viuam, & auripigmentum, & pulueriza, & in sacculo pone, & sacculum in aqua fac ebullire, & deinde cum illa aqua locum illine, quia depilabit ipsum. Aliud: Recip. colophoniam, mastichem, ammoniacum, & auripigmentum, & simul dissolue, & cum aliquo frustulo ligneo in illo inuoluto super locum duces: est enim optimum. Aut Recip. calcis uiuæ, & auripigmenti ana, & in lixiuio de sarmentis decoque, & vbi vis, ap pone. Aliud Gal. Recip. auripigmenti citrini, calcis viuæ vnc. j. amyli, spumæ argen ti ana vnc. s. terantur, & incorporentur cum aqua: & bulliant ad perfectionem: Signum autem perfectionis decoctionis est, quod penna, ut monet Gal. in eo posita depilabitur: quod quidem reliquorum omnium psilothrorum magis fortium signum quoq; est. Vt autem aiunt quidam, gummi hederæ recens est forte depilatorium sicuti ex aliorum sententia semen vrticę cum oleo mixtum & inunctum ex eo rum est numero, quæ strenuè depilant. Auicen. sumebat calcis viuæ part. ij. arseni ci citrini, & aloes modicum, & cum aqua calida illinebat. Statim enim pilos abradit. Vt autem psilothrum bene oleat, pone in ipso modicum galliæ muscatæ. Malum quoque psilothri odorem corrigunt, ut idem Auicennas docet, folia persici præ ceteris, necnon rosæ, cyperus, uitis folia, & id genus alia. Melior autem modus applicandi psilothrum est, vt patiens balneum, seu stufam calidam ingrediatur, in eaque depilanda loca diu aqua calida foueantur, & postea psilothrum ad vnguen ti formam redactum calidum superapplicetur, & tam diu dimittatur, donec quis mediocriter deambulando quadraginta passus conficeret, & tunc auferatur, & locus aqua calida abluatur: quia pili omnes auferentur. quibus amotis, loca oleo ro saceo cum aqua frigida conquassato inungantur. Si verò ex vsu psilothri excoriatio partis subsequatur, locus vnguento de cerussa, vel populeone, aut oleo rosaceo, uel violaceo cum succo semperuiui misto curandus erit. Sin autem fortis oriatur exustio, necessarium est adhibere vnguentum lithargyrium cum oui albumine, oleo rosaceo, & camphora permistum. Mirificè quoque excoriationes psilo thri persanat vnguentum hoc: Recipe radicis lilij coctæ lib. j. camphoræ drach. j. simul misceantur, & incorporentur. Vt autem pili cadant, & iterum non renascantur, maximè probatur psilothrum, quod Recipit calcis uiuæ part. j. aquæ claræ part. vj. pone simul in vase vitreato, & diebus tribus dimitte: postea cola cum panno lineo; & in colatura iterum de calce pone, & tribus quoque diebus dimitte, & iterum cola; & sic etiam tertia vice facies, & postremo adde huic colaturæ auripigmenti puluerizati partes sex, & dimitte vno die, & postea pone ex hac aqua in loco, in quo vis pilos abijcere. cito enim cadent, & non renascentur. De ijs verò, quæ à proprietate pilos abijciunt, scribunt quidam, quod si pellis ranæ com buratur, & puluerizata superponatur, pilos omnes totius corporis eijciet. Quod quidam etiam affirmant de puluere totius ranæ combustæ. Alij tradunt puluerem ossium agni supra caput alicuius gesta tum statim capillos abijcere. Nonnulli uerò inquiunt aquam egredientem ex uno capite sarmenti uitis uiridis, dum aliud caput in igne ponitur, aut solam, aut oleo mistam ac sæpe inunctam pilos faciliter abijcere. Galen. ea, quæ pilos disperdunt, proponens, scribebat iuxta rationem proposita pharmaca componi ex lepore marino, hepate thunni putrefacto, cedria, ranarum in viridibus arundinetis degentium cruore siue muco, marinæ testudinis sanguine, lachryma vitis albæ, lachryma hederæ, similiterque bryoniæ, ac oleo, quod insulsum appellatur. Ex marinis item scolopendris, vrticaque marina, & stellis marinis, nitro, ac amurca ad hæc admistis. Quin & fortiora his ex erinaceis, & Salamandra componunt in oleo coctis. Admiscent autem ipsis & alcyonia, & sandarachen, & quæcunque alia eius generis existunt. Et hæc de pilorum vitijs satis.

Psilothra.

Galen. 1. de med. loc. c. 4

Galen. 1. de loc. med. c. 4

Modus applicandi psilothra.

A proprietate pilos abijcentia.

De Furfuratione. Cap. XIIII.



CIRCA pilos, ac potissimum ipsius capitis, duo symptomata, quæ ad immutata exeuntia redigi possunt, frequentissimè oriri solent, nempe furfuratio, & pedicularis vocatus morbus. De quibus reliquum est, vt agamus, & primum vnà cum Galeno de Furfuratione, quam quidam Græci pityriasin, Latini, & Celsus porriginem vocitarunt. Huius porro vitij naturam aperiens Galenus scribebat, quod quibusdam se scalpentibus, furfuribus similia ex cute capitis decidunt; & propterea furfurationem Medici hanc accessionem siue symptoma appellant. Celsus docens modum, quo symptoma hoc generatur, ait fieri inter pilos quasdā veluti squamulas, quę interdū in ipsis quoq; supercilijs. sæpius verò sicc sunt: sed, vt etiam Alexand. affirmat, vt plurimum sine vlcere; aliquando autem cu mę vlcere: modo malo odore, modo nullo odore, Fiunt vt plurimum hæ squamulæ in capite, rarò in barba, interdum in supercilijs. Huius verò symptomatis proximam, & immediatam causam afferens Galenus scribebat, illud ex vitiatis saniebus, seu serosis humoribus, aut prauis ichoribus originem ducere. Hi autem serosi humores, vt Paulus, Alexander, & Auicennas rectè sentiunt, possunt esse nedum pituitosi, & salsi; verum etiam biliosi, & melancholici ad caput euecti. Auenzoar nihilominus ex crassa etiam pituita ad capitis cutem defluxa fieri existimauit. Quæcunque autem sit materia hæc, etiam si tenuis ad cutim ipsam mittatur, & subinde per eius meatus facilius exeat; attamen resolutis partibus tenuioribus crassescit, & sui aliquo lentore circa pilos, & in cutis superficie facilè concrescit, & postea in furfures migrat. Vnde etiam si materia vt plurimum sit pituita per exiccationem crassior facta, nihilominus quilibet humor, in quo prædominatur siccitas, potest esse causa, ut in capitis cute furfures gignantur. Remotæ verò huius vitij causæ sunt nimia corporis repletio, alimenta pituitosa: quies ante cibum, & post ipsum exercitatio præpropera; vsus rerum salsarum, & acrium, quales sunt carnes salitæ, pisces salsi, allia, cœpæ, & id genus alia; mora in sole; nimius coitus; & alia, quæ prauos, & serosos humores gignere, ac colligere, & in caput deducere, & euaporare valent. Hoc autem symptoma ex sola frictione, hominibus se se leuiter secundum capitis cutem scalpentibus, aut ex leui aliqua pectinatione statim detegitur. Nam ilicò squamulæ quædam, veluti furfures decidunt. A quo verò prauo succo proueniat, tum excutis capitis, decidentisque furfuris colore, tum ex ijs, quæ cum furfuribus coniunguntur, symptomatibus, (ab ichore siquidem pituitæ humiditas; à succo melancholico nullus fit pruritus; à bilioso & acri pruritus fit, ab acriore & magis exedente etiam excoriatio promouetur) tum demum ex alijs indicijs huius, vel illius exuberantis in corpore humoris facile nobis innotescit. Huic autem malo ij præsertim sunt obnoxij, qui præter id, quod excrementis abundant, & intemperanter viuunt, caput ipsum calidum, & humidum nacti sunt. Quamuis autem periculo prorsus careat, nihilominus quia turpitudinem hominibus affert, Galenus eius curationem nobis scriptam reliquit. Et indicationes ante omnia proponens, inquit, quod cum malum à vitiosis saniebus proueniat, has quidem consumere scopus erit eis, qui vitium hoc sanare voluerint. Manifestum igitur est, inquit ille, discussoria, & extersoria pharmaca adhibenda esse, præparato prius vniuerso corpore, si vitiatis humoribus repletum videatur. In omnibus enim huius rei meminisse oportebit, etiamsi aliquando in sermone relinquatur. Admiscuerunt autem quidam (subdit ipse) prædictis pharmacis scilicet & extersorijs quædam adstringentia, quo per ea affectum membrum corroboretur, vt ne facile in seipsum suscipiat influentes humores serosos, sed resistat, eosque repellat. Et ob hoc sane Archigenes in pharmaco ex atramento sutorio composito hæc verba adiecit: hoc, inquit, adeo efficax est, vt neque sinat in posterum fieri. Supposita itaque totius corporis, vbi opus sit, euacuatione, ac purgatione, de qua in sermone de pustulis, quæ in capite fiunt, abundè diximus, Gal. de Topicis pertractans, hæc ex Archigenis traditis nobis proponit, Quibus, inquit, furfures caput occuparunt, his cum fœnugræco, betæ succo, ac nitro, præfrictis & extersis, cimolia,

Galen. 1. de med. loc. c. 6. Celsus lib. 6. cap. 2. — Nomen. Natura. Differ.

Causæ. *Galen. 1. de loc. med. c. 6.*

Causæ remotæ.

Signa.

Prognostica. *Gal. loc. cit.*

Indicationes.

Curatio. Medicamenta. *Gal. loc. cit.*

felle

felle bubulo, aut suillo, acetoque subactam illine: Deinde post horam ablue, atramentumque sutorium, ac nitrum cum oleo trita illine. Aut myrobalanum idest vnguentariam nucem, & fabaceam farinam æquali pondere trita, in aqua coque, & affrica. Aliud. Amygdalas amaras decorticatas cum aqua, aut aceto affrica, cumque exaruerint capilli, calida ablue. Aliud. Aut maluam syluestrem aqua marina ad decimæ partis residuum coctam terito, & affricato. Aliud. Aut nitri spumam, & atramentum sutorium æquis partibus cum vino ter aut quater in mense affricato: hoc adeo efficax est, ut neque in posterum fiant. Aliud: Aut vini Rhodij fæcem cum lupinis affrica. Aliud. Aut Cimoliam cum fœnugræci cremore adhibe. Aliud. Aut nitrum assatum, & bulbum: aut hæc omnia simul pari pondere affrica. Aliud. Aut ubi picis liquidæ serum illeueris, alumen insperge. Hæc Galenus. Veruntamen in localium administratione optimum est capitis temperaturam, & præsertim in actiuis qualitatibus, & mali diuturnitatem perpendere. Quocirca in capite calido, ac furfuribus recentibus ac leuibus scribebat. Auicennas sufficere ablutionem cum aqua betæ siue siclæ, & aqua fœnigræci, & cum granis melonum, & cum farina cicerum, lupinorum, & fabarum. Curatio quoque mirabilis erit, ut alij tradiderunt, si lauetur caput per quatriduum cum ciceribus coctis cum maluauisco, & aceto. Simili modo ablutio capitis cum decoctione radicum maluarum caput calidum à leuibus, & recentibus furfuribus liberat. Necnon etiam ex Dioscoridis sententia decoctio foliorum salicis. Dum autem capitis ablutiones fiunt, loco saponis valde probantur amygdalæ amaræ contritæ, & dum malum diuturnius est, pumex vel integer vel contritus, furfures enim abstergunt, exiccant, & roborant tum amygdalæ, tum pumex. Post capitis lotionem, & furfurum detersionem, ut capitis etiam caliditas remittatur, vtendum inunctionibus refrigerantibus ex oleo rosaceo, nenupharino, de cucurbita, & similibus, quæ cutis feruorem compescunt. Ab adstringentibus verò, & vehementer corroborantibus capitis cutem, quia malum non est rebelle, omnino abstinendum est: ab ijs enim difflationes, excrementorumque capitis purgationes cohibentur; & periculum est, ne retrocedant, & cerebrum ipsum, & nobiliores partes summoppere lædant. In Furfuribus autem antiquis, & capite frigido fortioribus medicamentis egemus. Ideo post abrasionem caput aqua calida, & sapone abluatur, deinde panno aspero fricetur, & postea die, ac nocte hoc vnguento illinatur: Recipe hyssopi recentis adipis anatis ana part. semis, pulpæ colocynthidis (est enim in hoc malo præstantissima) partem j. olei cheirini part. j. thaphsiæ partis vnius quartam, laudani part. ij. Conficiatur vnguentum. Aut lauetur caput cum aqua decoctionis betæ, & centaureæ minoris, aceto, & melle; aut cum aqua, in qua fortiter bullierint flores vrticarum. Vel abluatur caput cum vrina, & postea cum oleo irino inungatur. Sed nitrum ipsum præ ceteris maximè probatur: Vnde quidam ipsum cum lixiuio dissoluunt, & eo caput illinunt. Possunt etiam admoueri ea, quæ superius ex Galeni, & Archigenis scriptis tradita sunt, & quæ fortiora esse videntur. Ex quibus tum pulueres, tum linimenta, tum lotiones parari possunt. Puluis fiet hoc pacto: Recipe nitri, sulphuris ana drach. ij. Pulpæ colocynth. drach. j. s. ellebori nigri drach. j. lupinorum crasso modo contritorum vnc. j. misceantur omnia pulverizata diligentissimè, & capiti prius deraso vehementer adfricentur. Pro sapone conuenit in lotione capitis farina lupinorum, & farina hordei crasso modo contriti. Lotio erit huiusmodi: Recipe foliorum betæ, radicis altheæ ana pug. j. pulpæ colocynth. ellebori albi, nitri ana drach. ij. hæc autem postrema in petia ligentur, & una cum herbis, & radicibus bulliant in lib. x. aquæ donec absumatur quinta pars: deinde adde vini albi lib. ij. & ita abluatur caput. post ablutionem, quia malum solet esse contumax, & cum vlceribus rebellibus, vtendum est hac inunctione. Recipe chalcanthi, fellis taurini ana drach. j. s. nitri, sulphuris, ana drach. ij. olei rosati omphacini vnc. ij. misceantur ad ignem in duplici vase, & cum modico ceræ fiat inunctio. Paulus & Alexander, ubi furfures humidi sunt, probant capitis ablutiones ex muria, seu aqua marina, uel decocto lupinorum, ceu maximè proficuas. Similiter vbi furfures cum ulceribus fuerint, probatur capitis lotio cum decoctione granorum, vel foliorum myrti, & deinde illinatur cum puluere olibani, & nitri cum oleo liliorum permisto. Sed lotiones Pauli & Alexandri statim supra propositæ admirabiles sunt. Victus autem ratio, ut idem Galen. ex sententia Archigenis imperauit constituatur

In furfure non diuturno, & capite calido.

In furfure contumaci, & antiquo, & capite frigido.

Victus ratio.

Galen. 1. de loc. med. 6.

tuatur flatus expers, nihil ex crassi succi cibis habens admistum, quales sunt tubera, fungi, bulbi, legumina, carnesque maximè bubulæ, ac quæ similia existunt. Sint autem cibi, quibus vescuntur boni succi, faciles concoctu, & mel iisdem addatur. Intinctus conferunt, acetum cum sapa; Condimenta, cuminum, & fœniculum; alijs parcè vtantur, & à bellarijs omnibus maximè abstineant. Vinum conducit eis album, & tenue; voluptatis verò gratia dulce, & vinum multum. Ex fructibus optima est vua arefacta, deinde ficus, quibus ante cibum reliquum vesci præstat. Verum ante omnia bonæ concoctionis cura habenda est. Deambulationes lenes plurimæ & mane, & vesperi optimæ sunt. Lauatio ex frigida balneis præstat: Si verò quis calida lauit, incongrua ei est longior in aere mora, & perfusio capitis præ solio est eligenda: postea verò larga frigidæ adfusione refrigerato. Dormire ad satietatem vsque vtile est. Ira, indignatio, uersatio in sole, & vehemens refrigeratio vitanda, & item omnia, quæ caput replent.

De Phthiriasi, hoc est morbo pediculari. Cap. XV.

Galen. 1. de local. 7.



QVAMVIS Gal. de phthiriasi, seu pediculis pertractans, vitium hoc, vulgarem, seu potius communem loquendi vsum sequutus, morbum vocitauerit; non tamen existimare debemus, vt quidam perperam arbitrati sunt, affectum hunc morbum esse, & ad numerum auctum redigi debere. Scimus profecto vermes ipsos, de quibus in secundo libro disseruimus, à Galeno inter morbos in numero recenseri, neque id ab re, quia licet lumbrici, & id genus alia animalia, non sint partes corporis, sed à toto genere præter naturam, nihilominus in partibus nostri corporis inclusi continentur, & intimius eas oblędunt. Pediculi verò, de quibus cum Galeno præsertim loquitur, extra corpus omnino sunt, & solam cutis superficiem externam exercent. Neque valet quorundam consequentia, dum aiunt, pediculi lædunt operationes, & præcipuè pruritum excitant, & somnum interturbant, ergo sunt morbi: quia etiam dolor, & vomitus, & alui fluxus somnum, & alias operationes lædunt; immo etiam plures causæ morbificæ, alioquin externæ, actiones offendunt, & nihilominus morbi non sunt. Sed multi minus in causarum numero, quæ immediatè, & solo morbi interuentu, actionibus nocent, debent reponi, ut alij dixerunt, quia scilicet, ut inquiunt, per mediam solutionem continui pruritum creant. Nam solutio continui est quid in fieri; morbus verò est in facto esse. Quare pediculi debent potius aut inter causas externas, & eas non necessario occurrentes enumerari; vel ad symptoma, quod est de genere excuntium immutatorum eatenus redigi, quatenus ab excremento tertiæ concoctionis, quæ in singulis particulis, & toto corporis ambitu celebratur, immutato, & præter naturam reddito, ortum ducunt. Quemadmodum enim Galen. scribit, & ei Auicennas subscribit, pediculi gignuntur ex excrementis calidis tertiæ coctionis, non tamen acribus, aut prauis, quia ex acri, & virulenta materia nullum animal generatur, sed simpliciter putrescentibus, non tamen insigniter corruptis, ac vehementer putrefactis, quia neque ex talibus excrementis vllum animal creatur. Dum enim in singulis partibus sanguis in earum substantiam conuertitur, duo (vti etiam in duabus primis concoctionibus contingit) excrementorum genera producuntur: alterum scilicet tenue, & alterum crassum: Tenue excrementum est insensibilis vocata transpiratio, per quam ichores in halitum resoluti digeruntur, licet interdum etiam per sudorem ipsum excernantur: Crassum verò excrementum est ipsa sordes. Quæ quidem si sui natura siccior sit, & non quidem lenta, aut calida, & omnino excrementitia, & vt ait Galen. in cutis superficie consistens, furfures creat: Sin calida sit, non tamen ad tantam caliditatem progressa, ad quantam perueniunt acres ichores, id est sanies; sed moderate calida, & aliquatenus alimentalis, & alicuius lentoris particeps, pediculos gignit. Nam harum qualitatum merito vitam facilè recipit; præsertim si non in superficie cutis, inquit Galenus, sed in profundo consistat, ubi etiam animalia hæc generari possibile est. Hoc autem modo loquitur Galenus, quia fieri quin etiam potest, ut ex materia iam descripta pediculi in cutis etiam meatibus non procul ab eius superficie generentur,

Marginal notes: Nomen, & Natura. — *Gal. 14. meth. vlt.* — Pediculorũ esséntiaque. — Pediculorũ materia. — *Galen. 1. de loc. med. 7. Auic. lib. 4. F. 7. trac. 3. cap. 26.* — *Gal. loc. cit.*

nerentur, quemadmodum ex alijs horum animalium causis, quas post trademus liquido constat. Maximus enim pediculorum prouentus in iis, qui circa corporis sordes detergendas negligentius agunt, & pannos, & potissimum indusium, nocturnamque vestem rarius immutant, præsertim apparet. Sed insuper, cum in primo sui ortu animalia hæc exiguissima sint, rationabile est in eis locis, & meatibus vitam sumere, qui & eorum paruitati proportione respondeant, & per quos, quamprimum viuunt, possint proprio motu, & viribus à cutis expultrice adiutis prosilire. Nam solum in cutis extima superficie ad maiorem magnitudinem excrescu t. Quare, ut rectè inquit Galenus, pediculorum generatio quibusdam in capite contingit acervatim ex multis scilicet humoribus calidis quidem, sed non ad tantam caliditatem progressis, ad quantam perueniunt acres ichores. Huius verò causæ remotæ sunt illæ, quæ corporis sordities, & vitiosos humores iam dictos creant, ac colligunt, & ad cutem mouent. Quocirca exercitationes intermissæ, & negligentia circa corporis cultum, & corporis immundities & negligentia circa pannorum mutationem, paupertasque hoc vitium sæpissimè pariunt. Hac enim ratione, qui in carceribus ac triremibus vitam degunt, & pauperes ipsi: quia scilicet corporis sordes non eluunt, ac pannos rarius immutant, hoc malo tentantur. Similiter vt Auicenna scribit, varietas ciborum, quatenus cruditates multiplicat, & succos creat, qui facile calore putredinali præhenduntur, & subinde in pediculorum materiam facilè vertuntur, est causa huius mali remota. Et idem dicendum de ijs, quæ materiam ad cutim mouent, & ad excretiones per eius poros properant, & eosdem cutis meatus aperiunt. Ob id cibi boni, sed tenuis succi quia sui subtilitate faciliter ad cutim permeant, huius vitij causa sunt. Hac de causa scribit Galen. quod si quis ficus, & caricas largius esitauerit, quia sanguinem non adeo probum gignunt, & promptè permeant, ac facile totum corpus peruadunt, ab eis offendetur, & ex ipsarum vsu pediculorum multitudo prouemet. Simili modo, ut idem ait, ex esu viperinæ carnis, dum mali succi in corpore abundant, ingens prouenit pediculorum numerus, & à cute ceu squama abscedit. ac decidit extima cutis epidermis à Græcis dicta, ad quam sistuntur crassi terrosique humores ad cutem protrusi, à quibus psoræ, lepræ, elephantes nascuntur. Similiter motus corporis, & præsertim, dum vna cum motu vapor spermat s associatur, quemadmodum in coitu ipso contingit, quia succos iam dictos ad cutim mouet, pediculorum causa euadit: Cum enim vapor seminalis non sit adeo malus, disponit alimentalem succum ad virulentiam, & putredinem quandam, non tamen intensam, sed aptam ad recipiendam vitam. Pariter leuis ablutio ex aqua calida, & leuis, ac modica exercitatio, quatenus materias ad cutim mouent, & poros quadantenus aperiunt; non tamen easdem materias digeruut, ac resoluunt, eatenus pediculos multiplicant: quia materiæ illæ in cute detinentur. quibus putrescentibus pediculi gignuntur. Fortis autem fricatio, necnon fortis & valida exercitatio pediculorum ortum prohibent: quia materias illas resoluunt. Hinc leuis capitis fricatio, ut Auicennas scribit, maximè pediculos producit, si corpus immundum sit: Si enim excrementis, ac superfluitatibus vacet, leuis fricatio capitis eos non multiplicat. Conuersationem autem cum immundis viris; ac mulieribus pediculis scatentibus inter causas huius vitij immediatas reponendam esse, nemo est, qui ignoret: quia pediculi propagatione se ipsos multiplicant, & qui ipsos contangunt, adoriuntur. Tres autem ab auctoribus pediculorum ponuntur differentiæ. Quidam enim præter id, quod multipedes sunt, de loco ad locum perambulant, & ij figuram oblongam sortiti sunt: alij fixi in vno loco permanent, & rotunda figura cancellos marinos repræsentant & quamuis cutim corrodant, ab ea tamen ægre auelli possunt. Nonnulli exiguissimi sunt, qui in manibus, & pedibus puerulorum oriri solent, & licet epidermidam corrodendo progrediantur, nihilominus ad animalis, quod caries uocatur similitudinem, paruum itineris spacium conficiunt. Ii uerò, quos nonnulli lendines vocitarunt, & capillis adhærere solent, sunt potius pediculorum primæ speciei à nobis enumeratæ partus & soboles, quæ in eosdem pediculos vertitur, quã species à iam dictis distincta. De efficienti uerò, & finali horum animalium causa non est ut loquamur; quia eadem prorsus essent repetenda, quæ in sermone de vermibus in secundo libro proposuimus. Cum autem malum istud vnicuique apertum sit: Ideo si de Præsagijs fiat sermo, sciendum, huic obnoxios potissimum esse pueros, propter voracitatem, & cruditatum redundantiam, & eorum caput præhumidum.

Causæ remotæ.

Galen. 2. de alim. fac. c. 8

Galen. 11. simp. ferm. de carn. viper.

Differentiæ.

Signa, & Prognostica.

humidum. Multiplicantur etiam pediculi in principio lepræ: quia excrementa illa cutim inuadunt: necnon in secunda, ac tertia hecticæ febris specie: quia partes extimæ, cutaneæque colliquantur, & calor præter naturam; non tamen valde exurens dominatur. Est autem vitium hoc satis prauum, & omnino non contemnendum, præsertim dum increscit: nedum enim turpe est, & tædio plenum, verum etiam nonnunquam miseros patiẽtes ad mortem perducit. Præ multitudine siquidem ac frequentia punctionum miseri neque quiescere, neque dormire queunt; sed assiduo seipsos scalpunt; & sæpe præ forti, & assidua scalpellatione non modo cutis pori, verum etiam venarum orificia aperiuntur, sanguisque effluit: & ratione vigiliarum & inquietudinis tum concoctio interturbatur, tum appetentia prosternitur tum demum corpus citrinum euadens extenuatur, & virtus ipsa omnino resoluitur. Pharmaca uero, inquit Galenus, quæ in hoc malo adhibenda sunt, necessario exsiccantia esse debent, & quæ ex alto trahere, ac vacuare possunt, magis utique, quam ea, quæ furfuribus conueniunt. Atque hæc quidem methodus est ea componendi, quæ extrinsecus locis ab his animalibus obsessis adhiberi debent. Sed quia huius mali radix in humorum malitia consistit, quæ partim est in fieri, partim in facto esse, ideo tum prohibendum quo minus hæc humorum superfluitas, ac prauitas augeatur, tum quicquid praui humoris iam genitum est, à corpore auferri, & expurgari debet. Quia verò prauitas succorum ab erroribus in victu præsertim originem ducit & augetur: ideo ante omnia necesse est victus rationem ita instituere, ut generationi ac putredini vitiosorum succorum occasio non suppetat. Quare vbi sanguinis copia, aut vitium id exigat, & malum foueat, & virtus id permittat, post aluum lenitam, à venæ sectione curatio auspicanda erit. Scribebat enim Auicenna malum hoc imprimis indigere corporis expurgatione, & præsertim euacuatione cum phlebotomia. Pro corporis autem expurgatione aluus aut thamarindis, aut diacatholicone, aut id genus alijs lenienda erit: ita tamen, ut in adultis, robustisque corporibus aut electuarium Indum, aut de succo rosarum ad drach. j. vel ij. iam dictis addatur. Postea præparandi erunt vitiosi succi hoc vel simili syrupo: Recipe decoctionis foliorum boraginis, scabiosæ, lupulorum, fumariæ, stapisagriæ, tormentillæ vnc. v. syrupi de lupulis, de scordio, vel de fumaria ana vnc. j. misce pro syrupo: quo quidem septem, aut nouem diebus assumpto, purgans pharmacum propinandum erit. Vnde Auenzoar hieram picram cum sero lactis, quod coagulatum fuerit, & cum semine vrticæ, aut cum lacte ficus exhibebat. Et in paruis pediculis purgatione cum semine carthami vel vrticæ, vel cum aqua infusionis eorum vtebatur, tanquam ijs, quæ causam eorum omnino eradicant. Potest quin etiam pro purgante agaricum ipsum trochiscatum exhiberi. Galen. probat pilulas suas ex aloe, de quibus in capitis pustulis, & capillorum vitijs locuti sumus. Possumus quoque vti pilulis ex agarico Mesues, vel pilulis ex hiera cum colocynthide. Si potionem malint, Recipe agarici trochiscati, carthami ana scrop. iiij. cinamomi, gingiberis, ana scrop. semis, seri lactis caprini quant. suff. fiat infusio per tempus debitum, & facta expressione, adde diacatholici, confectionis Hamech ana drach. iiij. mellis rosati, uel violati solut. vnc. ij. s. misce, fiat potio breuis. Quia verò malum est satis rebelle, ideo sæpe cogimus purgationem multoties repetere: quia si quid potest hoc malum auferre, est exacta, & repetita corporis purgatio. Topica vel intus sumuntur, vel extrinsecus applicantur. Intrinsecus Auicennas probat pharmaca interficientia, quemadmodum sunt allia cocta, & calamenthum montanum. Tradunt etiam limaturam cornu cerui bibitam lendines, & pediculos profligare. De ijs verò, quæ extrinsecus admouentur loquens scribebat, quod sylua eorum, quæ experientia constant (oportet enim in omnibus maximè attendere ac considere his, quibus experimentum testimonium præbet) in tertio libro Critonis de ornatu scripta est. Appones autem ea, quæ scripsit Archigenes, inquit, quod morbo pediculari affectis hæc conferunt: Staphidis syluestris, id est, herba pedicularis partes ij. sandarachæ & nitri vtriusque part. j. cum aceto & oleo capiti illine. Aut rhoen, qui in obsonia additur, cum oleo tritum similiter illinito. Aut Oxylapathi, id est, acuti rumicis radices cum oleo eodem modo. Aut veratrum album, & staphidem syluestrem, & nitrum pari pondere cum oleo in balneo adhibe. Aut cum aqua marina, aut muria meraca cum aceto perfundito. Quod si nuditas pilorum adsit, syluestrem staphidem, id est, herbam pedicularem, cum oleo, & aceto imponito. Aut alumen tritum cum oleo illinito. At

verò

Galen. 1. de loc. med. 7.

Galen. 1. de loc. med. 7.

Indicationes.

Curatio.

Chirurgica præsidia.

Medicamẽta communia.

Topica.

Intus sumpta.

Extrinsecus admota.

verò dum malum reliquis pharmacis non cedit, auctores ad argentum viuum confugiunt: Id tamen efficiendum non est, nisi necessitas nos compellat: quia periculo non vacat. Recip. autem argenti uiui saliua extincti drach. j. sulphuris drach. ij. pulueris cornu cerui vsti drach. iij. aceti & olei, quantum suff. vt fiat linimentum: quo, dum cogimur, corpore exactissimè purgato, vti poterimus. Aetius & alij valde probant capitis ablutionem ex decocto absynthij, lupinorum, rutæ abrotani, & salis: pediculos enim interficiunt, exiccantq́, & abstergunt. In mulieribus verò & longa ægritudine confectis quidam probant tanquam optimum, & tutissimum hoc præsidium: Recipe staphidis agriæ pugillum vnum, nitri drach. ij. bulliant in lib. iiij. aquæ communis vsque ad consumptionem medietatis, & facta expressione apponatur drach. j. argenti viui extincti, & aqua baculo per duas horas agitetur, & postea hac aqua nocturnum capitis tegumentum abluatur, & post ablutionem exsiccetur, & capiti obuoluatur. Vno enim vel altero die animalcula illa interficiuntur. Paulus vnà cum Galeno terebat stapisagriam in aceto, & hoc pharmaco, tanquam mirabili, quemlibet corporis locum illinebat. Alumen quoque aqua dissolutum, & illitum, necnon vnguentum factum ex limatura cornu cerui cum oleo, & axungia veteri, omnes pediculos fugat, & interficit. Nec minus oleum, in quo ruta infusa fuerit, inunctum probatur. Efficax pariter est vnguentum ex oleo cum elleboro albo, & nitro. Ad latos verò, & valde adhœrentes pediculos, qui in pectine præsertim & sub alis proueniunt, probatur inunctio ex linimento facto ex cinere lignorum quercus, aut stipitum fabarum & oleo. Ad eosdem verò, qui in palpebris cum rubore oriuntur, conuenit inunctio facta cum axungia, quam lardum vocant, si ei puluis olibani, cerussæ, & aloes permisceatur. Ad exiguos autem, & vix sensibiles pediculos, qui sub cuticula pruritum faciunt, Recipe axungiæ suillæ salis expertis, atque recentis, therebinthinæ optimè lotæ ana vnc. iij. incorporentur cum vncia vna succi scabiosæ, & drach. iij. ellebori albi, & fiat inunctio. Valde autem proficuum erit, dum pedes infantium, aut alia loca ab ijdem excrucientur cum pustulis, hoc remedium. Recipe oua recentissima, eaque elixa in aqua, donec fortiter indurentur, & postea incide albumina ipsorum in lata, sed subtilissima frusta: deinde accipe petiam lineam subtilissimam, & bene abrasam, & extende eam super loco, & dicta frusta albuminum super eam extende; & ea alia petia eis superposita liga, & dimitte sic per plures horas: & postea solue, quia omnes pediculos superficiei inferioris petiæ adhœrere inuenies, quod quidem certius cognosces, si petiam ipsam super prunas excuties cadentes enim crepitabunt. In omnibus vnguentis, quæ pro adimendis pediculis parantur, conuenientissimum est acetum: & si fortius vnguentum expetas, pone acetum scilliticum: quia omnes vermes interimit. Quidam tradunt, quod si gossipium terebinthina intinctum in sinu teneatur, pediculi fugantur. Aiunt etiam, quod si staphisagria trita, & in panno raro ligata teneatur in aliqua corporis parte secus cutem, omnes pediculi ad ipsam trahuntur, & pereunt. Alij inquiunt quod non procreat pediculos, qui gestat aliquam fasciam vel plures super carne nuda inunctam hoc vnguento. Recipe terebinthinam, & oleum commune, uel laurinum, & modicum salis triti, & omnia simul bene agita, donec perfectè incorporentur, & dealbentur: deinde adde modicum argenti viui saliua extincti, quod optimè incorporetur, & diutius misceatur, & vtere. Si quis autem, inquit Auenzoar, pediculorum materiam amouere velit, à cibis inconuenientibus abstinere debet, & præsertim calida, ac crassa alimenta deuitare. Quocirca attenuantibus vtatur, & præsertim carnibus gallinarum, turturum, auium montanarum, & similium decoctis cum aceto, vel omphacio, uel succo berberum & similium, & panis offeratur optimè fermentatus. Abstineat etiam ab omnibus fructibus, præterquam ab auellanis; Sed præsertim caueat ficus & vuas, & iuiubas, & poma. In potu vinum offeratur. Frequentia verò balnea, & abstersiones, & vestium permutationes, ac vsus vestimentorum de sericò, & de lino maximè prosunt. Qinimò frequens capitis ablutio lendines destruit. Penes exercitationes illud animaduertere expedit, ut hæ ante cibum ipsum inungantur. Sicuti enim otium & quies huic vitio maximè fauet, ita exercitatio conueniens illud destruit. Quinimò & balnea ipsa ante cibum adhibenda: quia post cibum potius obsunt, & malum fouent. Circa uestes illud obseruandum, ut pelles ouium, quæ à lupis deuoratæ fuere (hæ siquidem, ut auctores testantur, pediculos creant, atque multiplicant) necnon panni ex lanis morticinis vocatis confecti omnino caueantur. Et hæc pro vitiorum

Victus ratio.

externas

externas partes obsidentium curatione satis erunt. Quo pacto verò ab vlceribus, tumoribus præter naturam, & reliquis cutaneis malis quis præseruari debeat, ex sermone de præseruatione à putrida febre, & de vitijs capitis, & præsertim partium, quæ nutritioni dicatæ sunt, & ex ijs, quæ in hoc libro à nobis scipta sunt, vnusquisque poterit colligere. Id vnum hoc in loco addidisse non ab re fuerit, quod sicuti indicationes atque præsidia, quæ vitiosorum succorum generationem prohibent, & eos, qui geniti iam sunt, per conuenientes ductus euacnant, reuellunt, atque deriuant, perpetuo ante oculos habere par est: ita externas cutaneasque partes, quæ iam dictorum succorum fluxiones suscipiunt, non semper, sed rarius, & maxima adhibita cautela, ac distinctione corroborare debemus, ne scilicet vitiosorum, humorum fluxio à partibus ignobilibus ad nobiliores repellatur.

Finis Secundi Libri.

INDEX



INDEX
LOCVPLETISSIMVS
RERVM ET SENTENTIARVM
MEMORABILIVM,

QVAE IN HAC DE OMNIBVS EXTERNARVM partium affectibus Secunda Parte continentur:

In quo numerus folium ; a. primam ; b. secundam paginam folij ; P. M.F. tres æquales paginæ partes, P. scilicet Principium ; M. Medium, F. Finem demonstrat.



A



K *Albaras*

INDEX.

B

M

Nar-

N

O

P

Pepo-

Tenuium

INDEX.

Vitiligo

FINIS INDICIS SECVNDAE PARTIS, ac totius Operis de Affectibus externis.

D. T. O. M. LAVS, ET GLORIA SEMPITERNA.